



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs VIII. De postprædicamentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

qualitatum quarundam : quamvis namque vestiri, & armari, esse pilcatum & calceatum, aut bracteatum, haud sint opposita; at opponuntur hominem simul pulla, & alba veste indui. Atque hæc habui de habitu dicere.



TRACTATUS VIII.

De Postprædicamentis.

CAPVT I.

De oppositione in communi, eiusque prima, & secunda specie.

I GENDVM nobis est in hoc tractatu de oppositis modis prioris, modis simul speciebus motus : ac modis habendi : quæ cum frequenter occurrant in cathégoriis, nec ante has explicentur (tum quia non recte possunt, tum ne præludium operis supra modum excreseat) idcirco pertractantur post eas : adeoque postprædicamenta solent appellari. Vt ergo incipiamus ab oppositione, & eius speciebus : oppositio physica (haud enim est in præsentī sermo de intentionali, & logica, quæ nimirum non extrema simplicia, sed propositiones pugnant in veritate, & falsitate, affirmatione, & negatione, vniuersalitate, & particularitate) quadrifariam distribuitur ab Aristotele, & cæteris scholasticis : videlicet in relatiuam, cuiusmodi est patris, verbi gratia, & filij; contrariam, qualis est candoris, & nigroris; priuatiam, cuiusmodi est visus, & cæcitatē; & contradictoriam, qualis est sessionis, & non sessionis. Vt enim optimè disputant Scotus, Conimbricenses, Tellez, & alij, tum nuperi, tum antiqui, quæcunque mutuam gerunt oppositionem; aut ei sunt obnoxia velut duo entia; aut velut ens, & non ens. Si primum: aut utrumque ens est relatiuum; atque ita oppositio est relatiua: aut contra utrumque est absolutum, & eiusmodi, vt neutrum dicatur ad conuertentiam respectu alterius; & sic oppositio est contraria. Si secundum: vel opponuntur ambo in ordine ad subiectum quoddam capax recipiendæ formæ; atque ita oppositio est priuatiua; vel sine respectu ad eiusmodi subiectum destinatum, & sic oppositio est contradictoria.

2 Oppositio relatiua à non paucis iudicatur intercedere inter relationes solas: ab aliis inter relationem, & eius terminum: & à nonnullis, tum inter priora, tum simul inter posteriora extrema. Ipse arbitror, eam versari inter fundamentum duntaxat, & terminum. Moueor autem hoc argumento. Relationes prædicamentales, verbi gratia, Paternitas, & Filiatio haud ab extremis suis, haud consequenter inter se distinguuntur reuera, sed virtute tantum, vt visum est in loco: fieri ergo nequit, vt inter eas intercedat vera oppositio relatiua: hæc enim ritu cæterorum respectum postulat distinctionem realem extremorum: præsertim, cum ex ea præ cæteris colligatur in mysterio triados personarum distinctio realis, iuxta vulgare Theologis paramiam: omnia sunt vnum in Deo nisi ubi obest relationis oppositio, siue, quod iuxta est, oppositio relatiua. Rursus iuxta Aristotelem in cathégoric. capite 10. inter scibile, & scientiam est oppositio relatiua: at non pauci aduersariorum putant eam inter extrema haud esse, nisi vnā tantum relationem, non vero duas, vnum-

que extremorum illorum referri verè, & realiter ad aliud, & non è conuerso: ibi ergo oppositio relatiua haud est inter relationes, quippe quantum inibi nulla est multiplicitas.

3 Iam relatio prædicamentalis, paternitatis v. g. haud est adæquate, & perfecte distincta à termino, à quo tamen ita distinguitur fundamentum: cum ergo oppositio relatiua sit coniuncta cum distinctione, & cum maiori maior, sanè plus opponuntur relatiuè fundamentum, & terminus, quam relatio, & quod eam terminat, adeoque inter sola illa, non vero inter hæc est consummata, & perfecta oppositio relatiua. Præterea hoc genus oppositionis haud restringitur ad relationem prædicamentalem, sed cuius etiam transcendentalis est commune, vt bene præter alios animaduertit Auerſa q. 22. log. lect. 1. Ante medium: est relatio transcendentalis multoties est omnino indistincta à termino, vt v. g. cum actio refert causam, non ad effectum modo, sed etiam ad se ipsam, & cognitio etiam potentiam ad se. his ergo in euentis nulla est oppositio relatiua inter relationem, & terminum, cum tamen nulla in hypothesi, aut circumstantia fundamentum, & terminus defectu distinctionis realis cessent opponi relatiuè: quocirca relatio, & terminus ex genere suo, vt aiunt, istiusmodi nequitiam subiiciuntur oppositioni. Quæ cum ita sint, superest, vt sola relationis extrema, id est fundamentum, & terminus, eam vendicent.

4 At obieciens primò: duæ relationes v. g. paternitas, & filiatio ita sunt institutæ, vt, quod est fundamentum vnius, sit terminus alterius, & quod alteram terminat, eo ipso fundet priorem: habent ergo conditiones adeo oppositas, ac distantes, vt idem nequeat esse vtriusque fundamentum; idemvè terminus: opponuntur ergo relatiuè. Secundò: relationes supradictæ (par autem est ratio quarumvis aliarum) sunt quædam formæ incòpossibiles in eodem subiecto: haud enim idem homo potest esse simul pater, & filius respectu alterius, hisve duabus relationibus simul subesse: fundamentum verò, & terminus nequitiam sunt formæ, vel formarum instar: quando ergo oppositio versatur inter formas, magis est, vt quæ dicitur relatiua sit inter relationes, quam inter relata, siuè relationum extrema. Tertiò oppositio relatiua videtur esse debere inter terminum, & id, quod eum immediate ferit: at sola relatio illam immediate ferit, fundamentum vero non, nisi mediante relatione: inter hanc ergo solam, & terminum est oppositio relatiua.

5 Tandem quartò: non est oppositio relatiua inter Petrum v. g. & Paulum secundum se duntaxat, & propterea sunt homines, sed quatenus sunt pater, & filius, aliove modo referantur inuicem, vt palam est: Atqui pater, & filius sunt relationes, sin minus in abstracto, at certè in concreto: oppositio ergo relatiua est inter relationes. Atque hinc emergit quoddam argumentum non contemnendum aduersus nostram sententiam de relationis prædicamentalis indistinctione reali suis ab extremis: ea namque si foret vera pater ex toto sumptus, & filius similiter essent realiter indistincti: alteruter enim esset re ipsa non aliud, quam complexum eius, qui genuit, eiusque, qui genitus est, nec non generationis præteritæ, tametsi talis aggregati aliæ formalitates vnius, & aliæ alterius forent propriæ, quod non ad realem distinctionem, sed ad virtualem, & solius rationis rationatæ spectat. Consequens videtur euidenter falsum: cum enim sit oppositio relatiua inter patrem, & filium propterea tales, qui fieri potest, vt ambo non distinguantur realiter: aut si sunt nihilominus indistincti,

sancti, quod nobis superest distinctionis argumentum in personis sanctissimæ Triados.

6 Ad primum horum dicendum est, quod relationis vnius fundamentum sit terminus alterius, & è contrario, nullam inter eas arguere oppositionem relationum propterea, quod eiusmodi diuersitas conditionum sit coniuncta cum vtriusque distinctione, non reali, sed duntaxat virtuali: alia est ratio in fundamento, & termino: hæc enim ita sunt comparata, ut idem nequeat esse simul fundamentum, & terminus relationis: distinguuntur item ambo realiter: quid ergo eis deesse potest ad oppositionem relatiuam? Ad secundum dici debet, relationes esse veluti formas quasdam, necnon esse impossibiles inuicem in eodem subiecto; quo minus tamen ob id dicantur opponi relatiuè, obitare earum identitatem realem, defectumque omnis distinctionis, nisi solius virtualis. Porro quod fundamentum, & terminus non sint formæ, aut quasi formæ, haud ea facit incapacia oppositionis relatiuæ: non enim huius, sed aliarum trium est proprium respicere subiectum, & versari inter formas; ut vel constar ex ea, quæ interuenit inter personas diuinas, quas potius instar supposito- rum, quam formarum vlli inexistenciam subiecto concipere debemus, illas si, ut par est, figurare volumus. Ad tertium dicendum est, uti causa immediatè producit effectum, tamenli mediante actione, eiusque præsidio; & uti materia vnitur immediatè formæ, licet media vnione; & uti potentia immediatè cognoscit obiectum, elto intercedente cognitione, quia nimirum actio, vnio, & cognitio mediant duntaxat, veluti rationes formales producendi, vniendi, & cognoscendi; ita similiter fundamentum refer- tur immediatè ad terminum, eumque proximè ferit, esto vtrinque interiaceat relatio, velut ratio formalis referendi.

7 Ad quartum dici debet, oppositionem relatiuam, non esse inter Petrum, verbi gratia, & Paulum secundum se, & præcisè sumptos, sed inter eos prout sunt Pater, & Filius. Ast in Patre, & Filio, est considerare, fundamentum, & terminum, necnon geminam vtriusque relationem, siue, quod perinde est, id, quod inuoluunt in recto, scilicet supposita, & id, quod in obliquo, videlicet relationes; oppositionem ergo relatiuam esse primario inter fundamentum, & terminum, quæ à Patre, & Filio clauduntur in recto, & secundario inter relationes Paternitatis, & Filiationis importatas in obliquo: neque aliud à nobis hæc- nus intentum. Hinc etiam constar, quam parum sub- sidij sit, in hac obiectione aduersus indistinctionem relationis prædicamentalis à fundamento, & termi- no: siquidem extrema oppositionis relatiuæ, non quæcunque, sed inter quæ ea primario intercedit, & quæ ut plurimum concernuntur in recto, debent dis- tingui realiter; eiusmodi autem non sunt Pater, & Filius in totum sumpti, sed duntaxat supposita abso- luta: hæc ergo sola vi eius oppositionis sunt realiter distinguenda, non vero Pater & Filius secundum se totos, quantumlibet inter eos, ita usurpatos, oppositio relatiua interueniat quodammodo.

8 Porro autem hanc oppositionem puto esse rela- tionem veram, ac realem cum Scoto in præsentia quæst. 8. & in 2. dist. 1. quæst. 4. Nam quod nulla oppositio non sit relatio quædam, quamuis id negent aliqui apud Conimbricenses, in postpredicam. c. 10. quæst. vnica art. 1. cæterum inde claret, quod omne oppositum est alicui opposito oppositum, sicut om- nis Pater est alicuius Filius Pater, & omnis Dominus alicuius serui Dominus, &c. Rursus ecquid est oppo- sitio, quam repugnantia? item an non ea iuxta Ari-

stotelem 10. metaph. est diuersitas quædam? repu- gnantia autem, & diuersitas sunt notiones relatiuæ, & ad aliud. Tum sic: oppositio relatiua est opposi- tio: ergo & relatio. Quod autem non rationis, adeo- que vera, & realis, suadetur: quoniam, vel est relatio rationis, quia eius extrema haud sunt re, sed ratione distincta, quo pacto relatio identitatis censetur so- lius rationis: & hoc est falsum, cum nullum certius distinctionis realis extremorum quorumuis indicium, quam eorum oppositio relatiua, qua de agimus. Vel propterea est rationis, quia eius terminus non est existens existente fundamento: & hoc, si sermo sit de relatiuis prædicamentibus, à plerisque aduersa- riorum non admittitur, nec potest vniuersim esse ve- rum, ut suo loco probatum est: quod si sermo sit de relatiuis transcendentalibus, aut de quibusdam præ- dicamentibus, iis nimirum, quibus non debetur existentia termini, sanè vtrorumuis oppositio relati- ua, siue relatio oppositionis potest esse nihilominus relatio realis, & vera, ut liquet ex dictis supra tract. 6. cap. 11. & 12.

9 At B. Thomas 1. p. quæst. 42. art. 4. & non pauci eius sectatores oppositum tumentur hoc argumento ducti. Extrema oppositionis relatiuæ huius merito, si verè, & propriè, referuntur inuicem: ergo per alias duas relationes: hæc porro, cum opponantur relatiuè, sanè referuntur realiter alterutra ad alteram per alias duas: & hæc per alias: & sic in infinitum: repugnat autem talis modorum infinitas, ut palam est. Quod si quis respondere velit, uti effectus producitur per actionem distinctam; at actio nonnisi per seipsam, idemque visitur in aliis multis formalibus effectis; ita similiter duas illas relationes, in quibus quorun- dam extremorum oppositio relatiua sita est, per seipsas, & non per alias relatiuè opponi; contra sic insurgent aduersarij: relationes illæ, quamuis sint oppositæ relatiuè per seipsas, & quem extremis à se distinctis, hunc etiam sibiipsis effectum formalem tribuant, cæterum erunt similes, non per seipsas, sed per alias duas relationes: deinde non opponentur relatiuè, non per seipsas, sed per alias duas, & hæc ite- rum, esto opponantur relatiuè seipsis, at per alias erunt similes, & sic vltèrius: quocirca sequetur pro- cessus infinitus modorum, si nimirum gradus fiat à relationibus oppositionis ad relationes similitudinis, & ab his ad alias relationes oppositionis, & ab istis iterum ad alias similitudinis, quin eiusmodi alterna- tio cesset vnquam. Verum hoc argumentum tria sup- ponit, videlicet extrema oppositionis relatiuæ esse relationes; & relationem prædicamentalem distingui realiter à fundamento, & termino, esseque modum vtrinque interiectum; ac denique vnæ relationem non posse sine processu in infinitum referri realiter ad aliam: ast horum primum est à nobis proximè impugnatum, secundum vero, & tertium tractatu præcedenti: his ergo de causis parum, vel nihil pre- mit id argumenti, quod obiectum est.

10 Discrimen oppositionis relatiuæ à cæteris tribus hoc traditur, ab Aristotele, & à reliquis Dialecticis admittitur, quod eius extrema dicantur ad conuer- tentiam pro priori signo naturæ ad illam, secus vero extrema cæterarum relationum, nam Pater, verbi gra- tia, est Filij alicuius Pater, & Filius est alicuius Patris Filius, Dominus alicuius serui Dominus, & seruus alicuius Domini seruus, &c. ast nec visus est cæcita- tis visus nec cæcitas visus cæcitas, sed visus priuatio: item album non est nigri album, aut è contrario: sessio quoque non est non sessionis sessio, haud etiam non sessio est sessionis non sessio, sed sessionis negatio. Hinc respondebis argumento, quo contend- potest

potest oppositionem contrariam esse oppositionem relativam, eiusque quandam speciem; necnon etiam sub ea contineri oppositionem privativam, & contradictoriam, hæc si sint veræ, & propriæ oppositiones; quare reiiciendam esse quadrimembrem oppositionis diuisionem ab Aristotele traditam. & à cæteris receptam.

11 Argumentum autem est tale: contraria verè, & realiter referuntur inuicem, ut constitutum est à nobis suprà tract. 6. cap. 11. & expressum ab Aristotele in categor. cap. 7. contrarietas ergo est oppositio relativorum realium: ergo est oppositio relativa: hæc enim quidnam est, nisi quæ interuenit oppositio inter relativam realia, & vera? Idem argumentum instaurari potest in oppositione privatiua, & contradictoria. Cæterum ei respondebis, ut dixi, & perquam facile, oppositionem relativam esse eam, quæ est inter extrema relativam, propriè talia ante ipsam, non vero per ipsam, cuius beneficio: extrema autem oppositionis contrariæ, esto in posteriori signo naturæ, quo ea resultat sint relativam; at pro priori talia neutiquam esse, nec dici ad conuerentiam, ut proximè explicatum est: unde mirum non esse, si contrarietas haud sit oppositio relativam, eave neutiquam sit privatiua, aut contradictoria, sed potius, tum harum quælibet, tum etiam illa, videlicet oppositio contraria sit absoluta.

12 Quod attinet ad oppositionem contrariam, quam post relativam tractat Aristoteles, alia est propriissima, alia propria, sed non tantundem: vel, ut aliis terminis utar, alia est magis propria, alia minus propria, sed tamen non omnino impropria. Contraria propriissime sumpta ex Aristotele, tum in categor. cap. 10. tum in metaph. lib. 10. solent definiri, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto se mutuo expellunt. Huiusmodi sunt albedo v. g. & nigredo: nam ambæ sub genere coloris maximè distant; nec quomodolibet, sed positivè, siquidem nec ipsæ ab aliis coloribus mediis, videlicet rubedine, flavedine, & cæteris, quantum inter se dissident, nec inter colores medios tanta est diuersitas, quanta inter illos: aliunde vero ita institutæ sunt ambæ, ut posteaquam vna est in subiecto, possit, soleatque expelli ab alia: quod si aliquando non contingit expulsio, vniusque in alterius locum successio, id est per accidens, & quia earum alterutra est naturalis, & inseparabilis subiecti proprietates; quo pacto cygno v. g. candor, & corui nigror conuenit. Eadem ratione contrariantur caliditas, & frigiditas, quia præter vim expellendi se inuicem (adeo manifestam, & expertam, ut non possit in dubium reuocari) sub genere qualitatis paribilis maximè distant; non positivè, cum non sit maior earum distantia sub illo genere, quam humiditatis, & siccitatis; at certè negativè, quia nullæ aliæ magis distant, esto aliqua non minus.

13 Enimuero ea proprietate haud contrariatur auaritia liberalitati: namque sub genere habitus maximè non distant, cum magis sub eo dissideant auaritia, & prodigalitas, quippe quæ sunt extrema in quorum medio sita est liberalitas: dixi physicè loquendo: nam distantia moralis, quæ visitur inter auaritiam, & liberalitatem, maior est, quam quæ cernitur inter auaritiam, & prodigalitatem: hæc siquidem sunt vitia: illa vero virtus, & vitium. Eadem ratione carent propriissima contrarietate error, & opinio vera: minus enim distant, quam error, & scientia; quandoquidem horum habituum diuersitas est, tum penes veritatem, tum etiam penes certitudinem, & euidentiam; at illorum secundum verita-

tem solam. Duæ quoque albedines completæ, & supremum intensiōis suæ gradum sortitæ; necnon duæ quantitates (supponimus modo disputandi gratia materiam haud esse seipsa quantam) item duæ formæ substantiales similes, scilicet duæ animæ rationales nequaquam sunt strictissime contrariæ; & quia non maximè distant, quæ est earum homogeneitas, ac similitudo; & quia non se expellunt ab eodem subiecto: cum enim simile non agat in simile, ut est experientia, & autoritate receptum, haud contingit formam vllam expelli, nisi per quandam aliam dissimilem.

14 Contrarietas propria est formarum quarumvis, & quomodocunque impossibilem in eodem subiecto: cur enim quandam formam non admittere aliam, & insuper eam expellere sit summa oppositio contraria, & non sit aliqua eam non admittere, esto eam nunquam expellat, nunquamve ei succedat? Quapropter, quibus formis est paulò suprà negata propriissima, & perfectissima contrarietas, eis est concedenda propria, & perfecta. At obicies primò ex Conimbricensibus: auaritia non destruit liberalitatem, quoad omnes suos actus, sed quoad aliquos, nec penes retentionem bonorum, sed penes eorum elargitionem: actibus autem, quibus retinet bona, sola repugnat prodigalitas: ergo auaritia, & liberalitas, non sunt perfectæ ratione contrariæ. Obiicies secundò ex Auerſa: ad veram, & propriam contrarietatem opus est subiecto inhæſionis: at eo sunt destitutæ formæ substantiales, tum homogeneæ, tum etiam heterogeneæ. Obiicies tertio ex aliis: accidentia spiritalia, & materialia, cuiusmodi sunt, v. g. intellectio, & albedo, non sunt contrariæ; & tamen fieri nequit, ut sint in eodem subiecto: tamen ergo duæ albedines, aut quantitates, aut animæ rationales, nequeant in eodem morari subiecto, non ob id censendæ sunt verè contrariæ, cum videlicet, id habeant commune cum duobus illis generibus accidentium in antecedenti obiectis, ut nunquam se mutuo expellant. Quamobrem perperam videmur hanc conditionem ad aliquam, & non ad omnem exegisse contrarietatem.

15 Ad primum horum respondeo: uti mors hominem perfectè destruit, esto non quoad omnes eius partes, sed quoad aliquam partem, vel quasi partem, videlicet vnionem, cum interim supersint corpus, & anima rationalis, quibus homo potissime constabat, ita similiter liberalitatem perfectè demolietur, eique consequenter perfectè contrariabitur auaritia, quanquam non omnes, sed aliquos eius destruat actus. Et quidem is, qui in elargiendis bonis est immodicus, quantumlibet in eis retinendis haud sit auarus, quive è diuerso in eis retinendis nimius est, non vero in eis elargiendis, haud censetur absolute liberalis: liberalitas ergo absolute, & simpliciter destrui poterit, esto penes aliquos, & non secundum omnes suos actus à mediocritate deficiat: cuiusmodi autem defectum pati potest ab vno solo vitiorum, quæ interiacet. Ad secundum respondeo: ad contrarietatem formarum veram haud esse opus subiecto inhæſionis, sed sufficere subiectum causalitatis materialis, vel educationis, siue ea dicatur inhæſio, siue non: item formas substantiales inhæſere subiecto, quod complent. Hoc posterius ostendendum est ex professo suprà tractatu 2. capite 1. illud verò prius eodem tractatu capite 6. perstrictum est, & me iudice per se patet.

16 Ad tertium respondeo concessio antecedenti, & negata consequentia: nam quod intellectio, & albedo nunquam esse possint in eodem subiecto, haud oritur

oritur ex earum impossibilitate, sed ex eo, quod subiectum vnius non sit capax alterius, etiam si sit priori destitutum: quanquam enim tollatur à pariete albedo, non ob id poterit naturaliter in illo recipi intellectio, & licet hæc anima desit, non propterea albedo potest in eam introduci. Proinde albedo, quantum est ex se, immediatè non magis pugnat cum intellectu incorporea, quam cum aliis accidentibus corporeis; et si subiectum eius esset capax, posset cum ea coniungi: quid mirum ergo, si non sit ei propriè contraria? Hæc autem ratio non procedit in formis substantialibus, aut accidentalibus homogeneis: nam si subiectum destituatur, verbi gratia, vna anima rationali, poterit recipere aliam: haud ergo ex incapacitate subiecti non introducit alia, sed ex impossibilitate cum priori: quæ certè nescio, quo iure possit negari: ea vero admissa, planum est formas ita impossibiles contrariari. Hæc de contrarietate immediata: quod enim atinet ad mediatam; albedo v. g. & intellectio ei sunt obnoxia: cum enim albedo postulet subiectum materiale, & albedini ineptum; sit, ut ambæ mediante subiecto sint impossibiles, & ac proinde contrariæ.

17

Discrimen oppositionis contrariæ à relatiua iam est supra traditum: eius autem à contradictoria est perspicuum, quia hæc est inter formam, & eius carentiam, illa vero inter duas formas: quod vero differtur eam à priuatiua, & est idem, & præter illud alia non pauca adducuntur ex Aristotele capite sequenti.

CAPVT II.

De tertia, & quarta specie oppositionis.

18

Oppositio priuatiua est ea, quæ versatur inter habitum, & priuationem: nomine autem habitus intelligi solet forma, aut quasi forma, priuationis vero carentia habitus in subiecto illius capaci: ut cæcitas, quæ visum accidentalem tollit, utque esse edentulum, quod non formam aliquam accidentalem, sed substantiam, videlicet dentes eximit, at substantiam, quæ habetur intus formæ cuiusdam. Huius discrimen oppositionis à relatiua traditum est supra: à contradictoria tradetur infra: à contraria vero in primis est, quod illa sit inter formas positivas, hæc vero inter formam, & eius carentiam.

19

Rursus secundò in contrariis malum (vtrique morale) opponitur, tum bono, tum etiam malo: at bonum soli malo: verbi gratia, auaritia, & liberalitati, & prodigalitati; sed liberalitas, non sibi, sed solis extremis vitiis, in quorum est confinio posita: cæterum in priuatiuis malum physicum soli bono opponitur, & è conuerso, verbi gratia, cæcitas soli visui, & hic soli cæcitati. Deinde tertio contraria respiciunt interdum subiectum idem specie, & non solo genere, ut virtus, & vitium hominem, interdum vero solo genere idem, & specie diuersum, ut albedo, & nigredo, animal, aut corpus, ita tamen, ut prior sit debita cygno, & posterior coruo. At priuatiue opposita intuentur semper idem specie subiectum: verbi gratia, cæcitas, & visus, ita instituuntur, ut cuiuscunque speciei subiectum, est capax visus, in eodem esse possit cæcitas, & è conuerso.

20

Præterea quartò: contraria omnia, vel sunt sub eodem genere proximo, ut albedo, & nigredo, aut

calor, & frigus, priores enim qualitates subiiciuntur colori, & posteriores qualitati paribili, & primæ, vel sub eodem remoto, ac sub diuersis proximis, ut liberalitas, & auaritia aut scientia, & opinio erronea, illæ namque sunt, sub genere habitus moralis, & voluntatis proprij, hæc vero sub genere habitus intellectualis. Ast priuatiue opposita haud sunt vllatenus sub eodem genere, alterum enim est ens, & alterum non ens; enti autem, & non enti quod potest esse commune genus? Vltèrius quintò contraria possunt esse simul in eodem subiecto, aut quoad gradus remissos, quo pacto aqua, v. g. cum tepescit, est simul frigida, & calida; aut quoad gradus intensos, sed respectu diuersorum, qua ratione in intellectu simul est perfecta scientia vnius conclusionis, & error alterius: cæterum contraria, quatenus ita impossibilia, contraria sunt in actu signato, non vero in actu exercitio, & non propriè, sed impropriè. Verum ne ita possint coniungi priuatiue, & habitus: nam nequit aliquis esse simul cæcus, & videns absolute loquendo, vel dentatus, & edentulus.

21

Sextò contrariorum, alia se expellunt formaliter tantum, veluti albedo & nigredo, quarum neutra est effectiua alterius qualitatibus eiusdem secum speciei: proinde albedo non efficiendo aliam in subiecto nigro, illud dealbat, sed non patiendi nigredinem in eo subiecto, in quod ipsa introducit ab alia causa, atque merito naturalis cuiusdam impossibilitatis cum illa, parique ratione nigredo subiectum prius album denigrat: alia vero se expellunt, non formaliter modo, sed etiam effectiue, ut cum calor alium in subiecto antea frigido efficit, & hoc effectum frigiditatem deturbat. Cæterum opposita priuatiue nunquam se expellunt efficienter: haud enim visus, verbi gratia, producit alium visum, quo tollatur cæcitas, hæc etiam, quod caput est, haud producit aliam cæcitatem, haudve ab alia producit, propterea quod non ens nequeat producere, aut produci: solum ergo se quodammodo expellunt huiusmodi opposita formaliter, & quatenus sunt impossibilia inuicem.

22

Septimò: contraria, si sint immediata, ita sunt instituta, ut semper, & in quocunque temporis discrimine eorum alterum debeat inesse subiecto proprio, sanitas, verbi gratia, aut mobus animali: quamuis enim medici cum Galeno inter ægritudinem, & sanitatem adstruant quendam statum medium, moraliter vtrique, & secundum æstimationem; at rigorosè loquendo eiusmodi status medius nequit admitti, ut certo certius. Ab his autem contrariis differunt priuatiue opposita: siquidem in catulo, qui est subiectum proprium, & connaturale visus, & cæcitaris, ante septimum diem, nec reperitur visus, ut constat, nec etiam cæcitas: hæc enim est carentia visus in subiecto apto, ac tempore debito, & à natura statuto, quod cum non decurrat ante septimam lucem, non mirum, si tunc catulus non possit denominari propriè cæcus. Quod si contraria sint mediata, ut albedo, & nigredo sine eis subiectum proprium, & connaturale, v. g. paries potest esse; idque signata quacunque temporis differentia. Ast non semper subiectum proprium formæ & priuationis potest simul vtrique carere: nam post septimum diem necesse est, ut catulus sit, vel videns, vel cæcus.

23

Octauò quamuis ob particularem exigentiam vnius contrarij haud sit necesse eo existente, alterum etiam in rerum natura existere, id, quod perspicue docet Aristoteles in categor. cap. 10. textu 9. cæterum ut idem tradit libro 2. de celo textu 18. ob complementum, & perfectionem vniuersi, eius coexistentia,

coexistentia, & simultanea est non parua necessitas: spectat enim ad vniuersi pulchritudinem, & decus contrariarum qualitarum multitudo: quid namque facilius, quid etiam rerum conseruationi magis contrarium esset, quam si omnia frigore rigerent, aut calore aestuarent, aut siccitate arerent, aut humiditate diffunderent, atque lapsarent: quantum pratis deperiret ornatus, & perfectionis, si tantum viterent, & nec in eis candicarent lilia, nec vaccinia pigrescerent, nec flauesceret crocus, nec palleret viola, nec plena pudoris purpurasceret rosa, nec cetera demum adesset colorum varietas. Hoc autem pacto non est necesse, ut existente forma in rerum natura, eius priuatio inueniatur alicubi: cum enim priuatio sit non ens, adeoque omnis expers perfectionis, certe ad vniuersi perfectionem, & complementum eam dari non oportet. Ceterum aliis de causis, & quæ est rerum creaturarum imperfectio, & vicissitudo, nunquam est vlla forma in vno subiecto, quin sit in aliquo alio eiusdem priuatio: nam v.g. inter tot videntes semper est aliquis cæcus, inter tot comatos aliquis caluus, inter tot denudatos, aliquis edentulus &c.

24 Nonum discrimen inter priuatiue opposita, & contraria, illudque operosius ceteris ab Aristotele traditis est ab vno contrario ad aliud esse regressum, secus vero à priuatione ad habitum: potest enim, ait Philosophus, quis reddi de calido frigidus, & de frigido calidus iterum: necnon de sano ægrotus, & de conuerso: item de vitioso studiosus, & de studioso vitiosus: at qui semel obcæcatus est, nunquam potest videre; nec qui caluus factus est comam nutrire, nec denique edentulus emittere dentes: ceterum aduersus hanc rationem discriminis obiectio vulgaris est ætrem, v.g. fieri de lucido tenebrosus, & rursus de tenebroso lucidus; quæ sunt nimirum dierum, ac noctium vices: item hominem post somnum vigilare, & post vigiliam dormire, atque hac alternatione vitam suam tueri: deinde oculum de vidente non videntem, & de non vidente videntem, & intellectum de cognoscente obliuiscens, & de obliuiscens recordantem effici: paremque esse rationem ceterarum facultatum vitalium in ordine ad suos actus: quæ cum ita sint, videri sanè esse regressum non minus à priuatione ad habitum, quam ab vno contrario ad aliud.

25 Cardinalis Tolerus, Suarez, & alij respondent à priuatione ad habitum eundem numero nunquam reditū naturaliter, ac citra miraculum; ac bene ad eundem specie. Contra, quia ne ab vno contrario ad aliud numero idem fieri potest naturaliter reditus, sed duntaxat ad aliud eiusdem speciei: eo ergo ex titulo haud dissident inuicem contrariè, & priuatiue opposita, cum tamen Aristoteli propositum sit ostendere quod dissideant. Quid à quod sint non plures, qui eandem numero formam post priuationem sui naturaliter redire existimant. De quo tamen in physica.

26 Simplicius, & Niphus respondent, quoties habitus est ingenuus subiecto, eiusque naturalis proprietas, ad eum à priuatione non esse regressum; secus vero, si sit indebitus subiecto. Contra tamen quia frigus debetur aquæ, estque eius passio propria: & tamen aqua de non frigida fit iterum frigida. Deinde ea moderatio (siue sit vera, siue secus) locum etiam habet in contrariis: eorum enim alterum, si sit subiecto à natura insitum, eiusque inseparabilis proprietas, sanè hoc ipso ab vno ad aliud non licebit regredi: quo pacto nec cygnus de albo niger, aut è diuerso fieri potest, nec similiter coruus.

27 B. Thomas q. 2. de malo art. 12. ad 13. respondet à R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

priuatione potentia ad hanc non esse regressum: ac esse à priuatione actus alicuius ad illum: cum ergo cæcitas, v.g. sit priuatio potentia visua, & surditas auditua, nil mirum esse, si non possint hæc semel amissa restitui: locum autem, vigiliam, visionem, & cognitionem esse actus, adeoque ad eas à priuationibus posse rediri. Contra tamen primo, quia dætes sunt actus quidam, aut veluti actus, & non potentia: ac edentulus nequit eos naturaliter recuperare: contra secundo, quia frigiditas, est naturalis potentia aquæ, non minus, quam visus hominis: ac semel amissa, potest, & solet restitui: quæ cum ita habeant, nec verum est à priuatione actus, ad hunc semper esse regressum, aut nunquam esse à priuatione potentia ad istam.

28 Soncinas, & Caietanus respondent, quoties priuatio non magis supponit formam in subiecto quam è contrario, sed ambo illud æquè immediate respiciunt, esse regressum ab alterutra ad aliam: eiusmodi autem esse lucem, & tenebras, somnum, & vigiliam, visionem, & cognitionem, atque vtriusque carentiam: ac non licere regredi ita, si quando priuatio formam supponit, velut se priorem, ut cæcitas visum, & mors vitam. Contra etiam: quia cum dicitur, formam supponi interdum in subiecto, eique conuenire ante priuationem: vel sermo est de conuenientia in actu, ut aiunt, primo, siue, quod perinde est, de aptitudine subiecti ad formam recipiendam: atque ita omnis priuatio præsupponit formam subiecto conuenientem, cum nulla non definiatur carentia formæ in subiecto eius capaci, siue ad eam apto. Vel propterea sermo est de conuenientia in actu secundo, siue de actuali possessione formæ: & sic non visio in homine, haud præsupponit visionem, sed è diuerso se res habet: nisi vero quis possit in vtero matris, atque in lucem nondum editus videre: nihilominus homo de non vidente fit videntis: falsa ergo est ea regula, quæ statuitur, non esse regressum à priuatione ad habitum, quoties hic illam supponit.

29 Quapropter expeditior difficultatis solutio me iudice est, quotiescunque contrarium aliquod vi alterius expellitur à subiecto, naturaliter redire posse, si minus idem numero, ac certè idem specie, quod erat antea, ut visere est in contrariis ab Aristotele in exemplum adductis, atque etiam in quibuscunque aliis: si quando vero contrarium aliquod expelli nequit à subiecto vi alterius, scilicet ob peculiarem subiecti conditionem, nil mirum esse, si tunc nullus sit naturali regressui locus. Ceterum non quotiescunque expellitur habitus per priuationem ab hac ad illam licere regredi: aliquando tamen illicitum esse: prius enim constare exemplis à philosopho positis; posterius vero exemplis contra eum obici solitis. Quod, si inquiratur, quænam sit regula generalis, vnde dignosci possit, quando à priuatione est regressus ad habitum, & quando non; eiusmodi regulam nullam esse, ut farentur tandem Conimbricenses, Louanenses, Raphael Auerla, & alij non pauci doctorum. Hæc de oppositione priuatiua.

30 Quod attinet ad contradictoriam, ea definiri solet à quibusdam, quæ interuenit inter formam, & carentiam eius, ut sedere, & non sedere. Verum aduersus hanc definitionem talis existit difficultas, cui nescio quo pacto possit satisfieri: oppositio priuatiua est oppositio inter formam, & carentiam eius in subiecto apto: ergo est oppositio inter formam, & eius carentiam; ergo tantum addit supra oppositionem contradictoriam quandam accidentalem differentiam, videlicet subiectum aptum, & capax, quod quidem est extra essentiam carentiæ secundum se sumptæ.

& contradictionis adeo: quemadmodum ergo vitiosa est diuisio viuents in viuens sensibile, & viuens album, quoniam in ea diuisum vna ex parte contrahitur per differentiam essentialem, & ex alia per differentiam accidentalem; ita similiter haud carebit vitio oppositionis diuisio in contradictoriam, & priuatiam, quandoquidem illa contrahit oppositionem in communi per differentiam essentialem, & hæc per accidentalem.

31 Secundo definiri consuevit à quibusdam oppositio contradictoria, ea, quæ intercedit inter formam, & eius carentiam in subiecto: quo fit inquit, oppositionem priuatiam haud adicere differentiam accidentalem subiecti apti supra carentiam secundum se in oppositione contradictoria clausam, aut consequenter supra hanc, sed duntaxat differentiam essentialem aptitudinis supra subiectum secundum se, adeoque supra oppositionem contradictoriam tali subiecto constitutam: proinde diuisionem tradi per differentias non accidentales, sed essentielles. Verum ne hoc pacto explicata oppositio contradictoria facit, vt diuisio oppositionis in eam, & priuatiam sit bona: siquidem omnis oppositio priuatiua est oppositio inter formam, & eius carentiam in subiecto; contra vero omnis oppositio contradictoria, siue inter formam, & eius carentiam in subiecto, haudquaquam est priuatiua, siue inter formam, & eius carentiam in subiecto apto: quemadmodum omnis homo est animal, non tamen omne animal homo: sicut ergo diuisio viuents in hominem, & animal, esto sic per differentias essentielles, non est legitima, nimirum, quia membrorum diuidentium, alterum includitur in altero, ita similiter in præsentibus, &c. Dices cum Conimbricenses in catheg. cap. 10. questione vnica articulo 5. §. Hinc suboritur. Carentiam in subiecto per quam definitur contradictio, præscindere ab aptitudine subiecti, per quam definitur soler oppositio priuatiua, adeoque ab hac posteriori oppositione priorem illam: atque hoc satis esse, vt diuisio in vtramque facta valeat. Sed quod non sit satis, liquet animalis, & hominis exemplo: quamuis enim in illud cum præcisione ab hoc distribuatur viuens, nihilominus distributio est inhabilis, & parum dialectica.

32 Aliter ergo contradictionem definio eam, quæ interuenit inter formam, & carentiam eius in omni subiecto collectiue sumpto; cum tamen priuatiua sit inter formam, & carentiam formæ in solo subiecto apto, & habili. Hinc constat diuisionem oppositionis in vtramque factam, non esse per vnam differentiam essentialem, & aliam accidentalem: haud enim in altera sumitur carentia nuda, & secundum se, & in altera eadem simul cum subiecto apto, sibi extrinseco, & accidentali. Claret etiam eam haud fieri in rationem superiorem, & inferiorem, includentem, & inclusam: siquidem collectio omnium subiectorum, & collectio eorum duntaxat, quæ sunt capacia formæ, ad eamque recipiendam apta, nequaquam comparantur inuicem, eo modo, aut siue homo, & animal: nec enim vna collectio est alia, aut è conuerso: differunt ergo tantum ambæ, penes magis, vt aiunt, & minus, vti numerus ternarius, verbi gratia, & quaternarius: vnde sienti diuisio numeri in hos est legitima, & ad regulas Dialecticæ exacta, ita, & quæ sit oppositionis in contradictoriam, & priuatiam.

33 Ex dictis emergunt duo discrimina inter oppositionem contradictoriam, & priuatiam. Primum est, illam præscindere à subiecto apto, secus vero hanc:

quamuis enim ea præcisio haud sufficiat ad integram, & perfectam definitionem contradictionis, vt visum est paulo supra; at satis, superque est ad eius à priuatiua differentiam: nec mirum plus requiri ad definitionem, quam ad differentiam, cum illa latius, quam hæc pateat, & insuper genus includat. Secundum discrimen est, contradictionem esse oppositionem immediatam, cum nullum subiectum sit, de quo non asserueris verè, sedere, v. g. vel non sedere, plura vero sint, de quibus verè possit asseri, nec cecitatem eis inesse, nec visum, scilicet lapides, & ligna; atque vniuersim in anima omnia.

CAPVT III.

Quanam sit diuisio oppositionis in quatuor species superius explicatas.

34 **E**Am circa quares primo, an sit adæquata, omnemque continens oppositionem? Quod enim talis non sit, hisce videtur argumentis posse persuaderi. Primum esto. Differentiæ essentielles, cuiusmodi sunt rationale, inanimabile, rugibile, &c. sunt oppositæ: tum, quia id perspicue docet Arist. in postpradicam. c. 12. idemque in met. lib. 5. c. 10. insinuat: tum, quia repugnant inuicem; fierique nequit, vt earum plures eidem speciei conueniant: Boëtius autem hoc loco, & ceteri Dialectici communiter oppositionem tradunt esse duorum repugnantiam, & impossibilitatem quandam. Atqui talis oppositio haud est contradictoria, vel priuatiua, cum sit inter extrema duntaxat positæ: haud etiam est relatiua; cuiusmodi enim differentiæ sunt disparatæ; nec suapte natura ad inuicem: haud denique contrariæ; omnis namque contrarietas est in ordine ad verum aliquod subiectum, cuiusmodi sanè nullum est differentiarum essentialium, quippe quæ sunt indistinctæ à ratione, quam contrahunt, eaque, quam constituunt, adeoque neutri velut subiecto possunt insidere.

35 Secundum argumentum sit: vt oppositio inter duos entia, alia est contrariæ, & alia relatiua, quæ vero est inter ens, & non ens, vel contradictoria, vel priuatiua; quidni etiam ea, quæ est inter duo non entia, vt v. g. inter esse cæcum, & non esse cæcum constituat vnam, vel duas oppositionis species super quatuor illas vulgatas? Tertium argumentum esto: oppositio inter formam, & eius carentiam in subiecto capaci, eiusve priuationem est quædam species oppositionis distincta à contradictione, quæ formam cum carentia sua in nullo subiecto permittit coherere, sed potius ab omni eam excludit: similiter ergo erit peculiaris ac distincta oppositio ea, quæ visitur inter formam, & eius carentiam in subiecto inepto, eiusve putam negationem: proinde, non quatuor erunt, sed quinque oppositiones.

36 Ceterum eam diuisionem esse adæquatam, & Aristoteli est magis consentaneum, & sponte sua longè probabilius. Primum argumentum contrarium non premit admodum: namque tamen repugnantia differentiarum essentialium sic latet, & vulgari modo oppositio; id, quod solum voluerit Boëtius, & Aristoteles ipse obiectis; at ea propriam, ac strictam rationem oppositionis nequaquam vendicat: primò, quoniam omnis oppositio vera debet esse quadam ratione inter duo tantum: siquidem Pater, v. g. opponitur relatiue soli filio, non vero tum ei, tum etiam Domino, seruo, maiori, simili, æquali, &c. Rursus non sessio soli contradicit sessioni, non vero stationi, cubationi, cursioni, dormitioni, &c. è diuerso etiam

etiam sessio solum non sessionem excludit, non vero carentiam rerum à se distinctarum. Cæcitas simili modo tantum, opponitur priuatiuè visui, hic cæcitati soli.

37 Idem dicendum est de contrarietate, videlicet illam inter plura, quam duo non versari. Tum, quia id expresse docet Aristoteles 10. metaph. text. 14. Tum, quia albedo v.g. strictissime contrariatur nigredini soli, & è conuerso, vt superius capite primo explicatum. Quod si sermo sit de contrarietate, etsi non tantumdem, at certe strictè tali, ea etiam haud est, nisi albedinis, & nigredinis quodammodo: licet enim ita opponatur albedo, non tantum nigredini, sed etiam tubori, flauedini, virori, & cæteris coloribus mediis; cæterum ratio sub qua eius oppositio est vna nigredo: quatenus enim ad eam desinent reliqui colores, & eius quidpiam habent, vel actu, vel virtute quidem eareus opponuntur albedini, & hæc illis. Par ratio est caloris, & frigoris, siue inter se comparentur, siue cum aliis qualitatibus secundariis, & mediis. Virtus etiam, esto sit media inter duo vitia extrema, & eis verè contraria, tamen, quia ambo conueniunt in hoc, quod tollant virtutis mediocritatem, idcirco haud eis illa contrariatur, nisi quatenus sunt vnum quodammodo.

38 Quid multa? Formæ substantiales, si heterogeneæ, vt forma ligni, & qua infestatur ignis, contrariatur earum quæuis, non tantum vni sed innumeris formaliter quidem; at virtualiter, ea oppositio est inter duo: exercetur enim immediatè, & proximè per dispositiones, quarum videlicet ope ac virtute se mutuo expellunt: quatenus autem dispositionum accidentalium, qualitatumve disponentium materiam primam, oppositio sit inter duo, proximè manet explicatum: ea autem redundat quodammodo in ipsas formas, vt dictum est. Quod si loquamur de formis substantialibus, aut etiam accidentalibus homogeneis, ea quidem sunt contraria; at hæc contrarietas est inter duo tantum, non numero, sed specie (haud enim dualitas numerica potest exigi ad oppositionem contrariam, aliamve, propterea, quod oppositum vni alicui rei oppositionem habeat, cum omnibus eiusdem speciei, quamuis sint infinita numero.) Porro autem, cum quædam esse specificè duo tantum, possit bifariam contingere, videlicet positivè, vel negativè; dualitas specificæ formarum omnino similium, non est positivè talis (sunt namque vnus, & eiusdem speciei;) sed negativè solum, vt omnes illæ non sint plures specificæ, quam duæ; quando enim ne tot sunt, qui possunt esse plures? Aliis terminis: contrarietas debet esse inter duo tantum, hoc est, saltem non inter plura, quam duo: ita autem est, in formis homogeneis, dualitas specifica ad contrarietatem requisita.

39 Ast hæc oppositionis conditio hucusque explicata, non videtur in differentiis essentialibus: haud enim opponitur rationalitas v.g. vni soli differentiæ alterius speciei, sed infinitis, videlicet hinnibilitati, rugibilitati, & cæteris: cedo enim, cur vni magis, quam alteri; non certè, quod vna sola earum sit cum qua repugnet in eadem specie coniungi; omnibus siquidem ex æquo repugnans est, vt luce clarius: non, quod vna sola earum sit ratio formalis propter quam reliquis opponatur, eo pacto, quo candor primò opponitur nigriti, eiusque respectu coloribus mediis; cunctæ namque differentiæ substantiales aliarum specierum extremè distant à rationalitate, immediatamque, & primam, cum ea gerunt repugnantiam: non, quod oppositio rationali-

R.P. Richard Lyncei, Philosoph. Tom. III.

tatis, ac cæterarum differentiarum, sit virtualiter lucta dispositionum, ac proinde fin minus actu, saltem virtute inter duo: opponuntur enim illæ omnes, quatenus sunt essentialiter diuersæ; eiusmodi autem sunt per seipsas, & non per dispositiones: hisnamque mediantibus, etsi vna entitas aliam expellere possit à communi subiecto, non tamen ab alia quidditatiuè differre: oppositio autem differentiarum specificarum est earum diuersitas: haud ergo est virtualiter, aut ex æquivalenti dispositionum accidentalium oppositio: non denique, quia non sunt plures specie quam duæ; sunt enim infinites plures: Huius ergo defectu dualitatis nulla differentia essentialis opponitur propriè alteri, aut præter quatuor oppositionum species aliam constituit.

Secunda eiusdem rei ratio, eaque facilior est hæc. 40 Omnis vera oppositio est in ordine ad subiectum aliquod, sola relatiua excepta, quæ cum sit inter fundamentum, & terminum relationis, adeoque inter tota supposita, haud debet esse ex genere suo formarum alicui subiecto inharerentium: an non visus, & cæcitas priuatiuè oppositi hominem v.g. velut subiectum respiciunt? an non similiter eum sedere, & non sedere, quæ contradicunt inuicem? An non tandem albedo, & nigredo, calor, & frigus, & cætera contraria, quæ per qualitatem ei insidunt? Ast differentiæ specificæ non sunt in aliquo subiecto, sed potius sunt in genere illud contrahendo, & in speciebus eas contrituendo. Vel hoc ergo nomine oppositionis veræ sunt expertes.

Dices: esse dentatum, & edentulum opponuntur priuatiuè; & tamen non in ordine ad aliquod subiectum cum dentes non insint homini, velut subiecto, sed velut toti integrali, nec sint formæ, quarum dumtaxat proprium est inharere subiecto, sed entia essentialiter completa, & substantia. Item homo, & non homo opponuntur contradictoriè; nullum tamen est subiectum hominis. Defectu ergo subiecti haud est, quod differentiæ essentialis propriam reiciant oppositionem eiusve nouam quandam speciè adstruant.

Neutrum tamen horum solutionem datam infringit. Namque, quod attinet ad prius, sermo nobis est de subiecto, quod tale sit, non respectu habitus, aut alium, carentiam quandam sui expellentis, sed respectu vnionis, media qua eo porri dicitur, illamque quodammodo possidere. Ita autem oppositio inter esse dentatum, & edentulum est comparatione subiecti: siquidem partes hominis, cui insunt dentes, sunt subiectum vnionis continuatæ cum illis, subiectum inquam, vel inharerentis, & causalitatis materialis, vel certè informationis veræ. Quod autem spectat ad secundum obiectum, haud est in eo plus ponderis. Et enim homo, & non homo iuxta doctrinam, quam supponimus, non opponuntur physicè, & propriè, sed intentionaliter, & ne hoc modo formaliter, sed fundamentaliter, propterea, quod sint fundamentum harum propositionum logicè contradicentium Petrus est homo, Petrus est non homo, siue quod in idem recidit, non est homo.

43 Sed enim propter illas duas instancias nostra solutio paulo aliter proponi potest; ita scilicet, vt ambarum effugiat vim. Dici ergo potest, de ratione omnis oppositionis in communi nulla prorsus exempta esse, quod sit permixta in ordine ad verum subiectum hoc est vt quamuis non petat illud, attamen ei non repugnet, idque possit aliquando fortiri ratione alicuius speciei sibi subiectæ. Sic oppositio relatiua, tametsi sit multoties inter supposita completa, & subiectorum nescia at etiam est haud raro inter formas subiectis inexistètes, v.g. similitudo inter duas albedines,

dines, seu duos calores. De oppositione priuatiua, contradictoria, & contraria haud est dubium, eas esse permissiue in ordine ad subiectum. At ne ita est respectu illius oppositio differentiarum essentialium: quippe quæ nunquam sunt, aut possunt esse in subiecto: quapropter ea oppositio erit improprie talis.

44 Secundum argumentum contrarium non habet plus ponderis: siquidem inter duo non entia nulla vnquam est vera oppositio. Cæcum enim, & non cæcum non sunt duo non entia, sed non ens, & ens, esse videlicet cæcum non ens, & non esse cæcum ens propterea, quod sit carentia carentiæ, atque adeo affirmatio, & positio reipsa. Tertium argumentum est etiam facile solutum. Nam Philosophi nunquam curant de oppositione illa inter formam, & carentiam eius in subiecto inepto, & id non immerito, cum nihil in ea sit doctrina, aut tractatione dignum: secus vero est de oppositione priuatiua, siue inter formam, & carentiam eius in subiecto apto, deque oppositione contradictoria: quocirca non est, cur præter eas illa oppositionis adstruatur species: haud enim est sermo impræsentiarum de oppositionibus quibusuis, sed de solis eis, quæ sunt Philosophis familiares, & scitu dignæ.

45 Deinde de eadem diuisione queri potest, num sit vniuoca. Affirmant Louanienfes in prædicam. cap. 10. necnon Philoponus, Boëtius, & Simplicius ibidem. Item Iauellus lib. 10. metaph. quæst. 11. & Niphus eodem lib. quæst. 6. Alique plures. Quibus subscribo. Nam quælibet earum quatuor oppositionum est vera, & propria oppositio: de contraria id certum est, & à nemine versum in dubium: de relatiua, probatum est superius: de contradictoria, & priuatiua, suadetur: quoniam earum quælibet est maior, quam relatiua, vel contraria, vt omnibus ferme aduersariis est in confesso, vtque mox constabit: ergo priores illæ cum fortiantur rationem veræ oppositionis, necesse est, vt ea non careant posteriores: quapropter vt animal, verbi gratia, vniuocè scinditur in hominem, & equum, quoniam vterque est verè, & propriè animal, analogicè vero in pictum, & verum, quoniam hoc solum, non vero illud est simpliciter animal; ita quadrimembris illa distributio oppositionis erit vniuoca, & non analogica, cum quælibet earum oppositionum, in quas fit, verè, & propriè sit oppositio.

46 Contrarium tumentur B. Thomas in 1. distinct. 5. quæstione 1. articulo 1. ad 1. & opuscul. 37. Caietanus, Soncinus, & alij eius asseclæ; quibus adde Magnum Albertum. Mouentur autem hoc argumento. Oppositio relatiua est relatio solius rationis, & fictitia, cum tamen contraria sit relatio realis: rursus contradictoria oppositio est longè maior, quam priuatiua, & ambæ, quam neutra duarum priorum: & vniuersum quæcunque omnium quatuor comparatur cum alia quauis, comperietur, eas ita institui, vt, vel vna sit relatio rationis, & alia realis, vel certè vna sit maior alia: respectu ergo omnium, & singularum erit ratio analogica, & non vniuoca oppositio in communi: siquidem ad ens reale, & rationis nihil potest esse vniuocè commune; & inæqualis etiam participatio, siue ea sit entium duntaxat, siue tantum non entium analogiam inuehit, & de medio tollit uniuocationem.

47 Sed in primis falso supponitur, oppositionem relatiuam esse relationem solius rationis. Secundò talem etiam esse oppositionem contradictoriam, & priuatiuam haud est magis verum: superius enim tractatu 6 cap. 11. & 12. visum est, quatenus relatio realis possit non ente terminari: oppositionum et-

go harum, esto quæuis velut terminum respiciat non ens, & vel negationem, vel priuationem, poterit nihilominus relationis veræ, & realis rationem fortiri. Tertiò æqualitas duarum quantitarum est vera, & prædicamentalis relatio: & tamen inuoluit carentiam partium, quibus vna exuperet aliam, adeoque non ens: quamuis ergo contradictoria, aut priuatiua oppositio inuoluit carentiam in recto, vel in obliquo, prout nimirum habitus carentiæ, aut potius hæc illi dicitur opponi, non propterea desinet alterutra esse vera, ac prædicamentalis oppositio.

48 Quartò: ad ens reale, & rationis ratio communis, vniuoca entis quidem repugnat; scius vero obiecti, cognoscibilis, amabilis, &c. quidni ergo ad vtrumque sit vniuoca oppositio in communi? haud enim opponi minus commune est vtrique, quam esse obiectum, vel esse cognoscibile, esse amabile.

49 Quintò: verius est, ens esse vniuocum respectu substantiæ, & accidentis, Dei, & creaturarum, quamuis illius conceptum huiusmodi inferiora participant inæqualiter: similiter ergo in præsentis, &c. Hinc colliges, falsam esse sententiam Scoti inter nostram, & Thomisticam extremè oppositam: quippe quæ adstruit oppositionem esse vniuocam intuitu relatiuæ, & contrariæ, propterea quod ambæ sint reales, & neutra solius rationis; analogam vero contemplatione earum, & contradictionis, oppositionisque priuatiuæ; videlicet, quoniam hæc posteriores, haud sunt more priorum respectus reales, sed potius commentitij. Quam tamen falso nitatur principio Scotus, proximè manet ostensum.

50 Vtcrius circa eam diuisionem disquiri potest, num sit immediata, hoc est an oppositio distribuatur immediatè, & proximè in quatuor illas species vulgaras. Respondeo haud omnino eam ita distribuere, sed quodam sensu mediare. Nam prius est diuidere oppositionem in eam, qua repugnant entia, & eam, qua ens, & non ens: ac rursus diuidenda est prior oppositio in relatiuam, & contrariam; & posterior in priuatiuam, & contradictoriam: quadrimembris ergo diuisio illa haud est immediata quocunque vsurpata modo. Propterea tamen non est reiicienda: ita enim potest, ac debet exponi, vt non sit vna, sed multiplex, alia nimirum oppositionis in relatiuam, & absolutam, & alia oppositionis absolutæ in contrariam, contradictoriam, & priuatiuam: huiusmodi autem alterutra est proxima, & immediata: ergo & diuisio illa, qua de agimus, si nimirum sumatur, non vt vna, sed vt gemina, nec tam vt diuisio, quam vt subdivisio.

51 Denique circa illam partitionem potest controuerti, quænam oppositionum omnium, quas dispescit, sit maxima? Respondeo contradictoriam cæteras superare. Ita B. Thomas opuscul. 37. articulo 1. Ferrariensis 4. contra gentes capite 14. Collegium Conimbricense in caput 10. de oppositis quæstione vnica articulo 6. vbi etiam aiunt, in eadem esse sententia Aristotelem, ceterosque philosophos. Suadetur autem primo, quoniam etiam albedo, & nigredo, verbi gratia, in gradibus intensis, penes quos solos propriè, & in actu exercito contrariantur inuicem, haud possint esse simul in eodem subiecto naturaliter, & citra miraculum, at possunt miraculosè, & de potentia Dei extraordinaria: extrema vero oppositionis contradictoriæ, neutro modo possunt in eodem coherere subiecto. Rursum: Pater exempli gratia, & Filius respectu eiusdem, quo tantum pacto sunt relatiuè oppositi, nequeunt diuinitus etiam eidem conuenire: at ambo sunt entia: quæ autem contradicunt inuicem sunt ens, & non ens;

ens : extrema ergo contradictionis, magis distant, quam ea, quæ subfunt oppositioni priuatiuæ : ac proinde illa est maior, quam hæc, necnon, quam contraria, videlicet eodem ex titulo.

52 Præterea : quo vniuersalior est aliqua oppositio, quo latius funditur, & ad plura subiecta se extendit, eo est maior, vt sponte sua patet : talis autem est contradictio facta collatione illius cum priuatiua ; nam nullum est subiectum, quod non sit videns, vel non videns, & consequenter, à quo, vel forma non tollat negationem, vel negatio formam, alteraque succedat in locum alterius : in omni ergo exercetur oppositio contradictoria : at multa sunt subiecta, quibus non conuenit cæcitas, nec visus, & à quibus, nec forma per introductionem sui pellat priuationem, neque hæc illam, vt lapis lignum, exempli gratia. Proinde in multis haud exercetur contrarietas. Hanc ergo contradictio in ratione oppositionis superat.

53 Item extrema oppositionis contradictoriæ magis distant, quam quæ opponuntur priuatiuè : siquidem hæc conueniunt in eo, quod alterutrum petat capacitatem formæ in subiecto : quemadmodum enim nihil videt sine aptitudine ad videndum, ita sine eadem nulla est cæcitas : ast in ea capacitare, & aptitudine haud conueniunt, visio, & non visio contradictoriæ oppositæ : vt enim aliquid denominatur videns, opus est aptitudine ad videndum secus vero, vt absolute dicatur non videns : Ast quo maior est distantia extremorum, hoc est maior eorum oppositio : contradictio : igitur priuatiuum superat oppositionem.

54 Insuper : (& eodem ferme redit) albedo, & nigredo potiuntur medio, quia non summe distant, sed potius conueniunt in aliqua re, videlicet in mixture subiecti vtrique ex æquo debita : hinc enim est, vt nullum elementum sit album, vel nigrum, quod nullum eorum sit mixtum corpus, sed potius quodlibet simplex, & primarium temperie qualitatum immune : E contrario ergo ob id extrema oppositionis contradictoriæ summe distantia : hæc autem immediatio haud conuenit priuatiue oppositis, vt visum est : ergo nec summa distantia : proinde minor erit eorum oppositio, quam contradicentium inuicem. His autem argumentis, quibus confectum est, contradictionem excedere oppositionem priuatiuam, confici etiam potest eius excessus supra contrariam, & relatiuam : neutra enim earum est adeo vniuersalis, vt ad omnia sese extendat subiecta ; neutra consequenter immediata, aut inter extrema summe distantia : siquidem plura sunt subiecta, imo innumera, quibus non conuenit esse, verbi gratia, album, aut nigrum, esseque patrem, aut filium.

55 Hactenus collata est contradictio cum cæteris tribus oppositionis speciebus : reliquum est, vt has inter se comparemus. Dicendum ergo, oppositionem priuatiuam esse maiorem relatiua, & hanc contraria. Prius constat : quoniam oppositio priuatiua est necessario inter ens, & non ens : ast relatiua, vt plurimum est inter duo entia : quocirca illius extrema magis distant, quam huius. Posterius etiam haud est minus exploratum, siquidem extrema oppositionis contrariæ, saltem diuinitus componi possunt in eodem subiecto : item necessario sunt entia realia, & vera : ast quæ opponuntur relatiue, ne diuinitus possunt eidem conuenire : aliquando etiam sunt ens, & non

R.P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

ens, vt verbi gratia, cum quis dicitur similis in ratione entis rei non existenti, vel perfectior sua carentia : duplici ergo nomine relatiua oppositio superat contrariam.

Obiicies tamen aduersus hanc oppositionum taxationem : omnis oppositio includit contradictoriam, eamque contrahit per differentiam propriam ; at omne includens est maius inclusio, & hoc minus illo : igitur oppositio contradictoria est cæteris minor, & quod consequens est, hæc illa maiores : maior, in qua sola est aliqua difficultas, suadetur : nam, vt opponantur aliqua, seu priuatiue, seu relatiue, seu contrarie, opus est vnum eorum non esse aliud : alias quo pacto poterunt opponi ? ast vnum non esse aliud est contradictio : verbi gratia, quod albedo sit albedo ; & nigredo non sit albedo ; & nigredo est contratio nigredo, & albedo non sit nigredo est reuera albedo, & non albedo, & nigredo, ac non nigredo, ac proinde oppositio contradictoria, vt quæ maxime : huiusmodi ergo oppositio includitur in quauis alia.

Rursus secundo : minus distant extrema aliqua immediata, quam quæ medio, & interstitio separantur aliquo : qua ratione, verbi gratia punctum inchoatiuum lineæ cuiusdam minus distat à parte sibi proxima, quam à puncto terminatio eius lineæ sibi ex aduerso respondente. At extrema oppositionis contradictoriæ sunt immediata cæterarum vero mediata, vt superius statutum : illius ergo, quam cæterarum extrema minus distant, adeoque illa reliquis omnibus est minor : tantum abest, vt eas superet. Deinde tertio : priuatio quoties est in subiecto, tollit ab eo formam, at non aptitudinem ad illam, imo eam petit, cum sit carentia formæ in subiecto apto, & capaci : sed opposita relatiue non tantum se tollunt, sed interdum etiam aptitudinem ad se : nam in Deo, quæ persona est pater, non modo non est Filius, sed nec esse potest ; & quæ est diuerso Filius, ea non est apta, vt sit pater : magis ergo ex genere suo opponuntur, quorum oppositio est relatiua, quam, quorum est priuatiua, cum plus sit tollere actum simul, & aptitudinem, quam illum duntaxat hac permissa, vel etiam petita.

Quarto : contrarietas logica post contradictionem sequitur, est quæ maior tertia, & quarta specie oppositionis logicæ, videlicet subcontraria, & subalterna : quid est ergo, quapropter inter oppositiones physicas non sit saltem secunda ? aut quorsum in infimis consistat ? Tandem : quid sit de contrarietate minus propria, certè propriissima videtur esse maior oppositio, quam contradictoria : siquidem ad eam plus requiritur, quam ad hanc ; vt enim subiectum album designat esse tale per strictissimam contrarietatem, opus est, vt sit nigrum, qualitatemque sortiatur albedini extremè oppositam ; vt vero subiectum illud designat esse album contradictorie, siuè absolute non album, satis est, vt sit flauum, vel rubrum, aliamve qualitatem mediam inter albedinem, & nigredinem induat. Quo autem plus desideratur ad oppositionem, eo est maior ; sicut eo maior est domus, & perfectior, quo est magis operosa, quoue plus materiæ, & artificij requiritur ad eius fabricam.

Ad primum argumentum respondent Conimbricenses, & Farrara, quamuis oppositionem includere contradictoria, & supra eam addere aliquid cæterum additū hoc esse diminuens, adeoque non efficere vt

T 3 includens

includens sit maius inclusio, sed potius minus. Contra tamen sic argumentor: diminutio transfert rem à simpliciter, ut aiunt, ad secundum quid, ut ex doctrina dialecticorum omnium ostensum est à nobis in Logica lib. 3. tract. 4. atque inde est, ut cum Æthiops dicitur albus, non absolute, & simpliciter, sed secundum quid, istud additum censetur esse diminuens. At oppositio priuatiua absolute, & simpliciter est oppositio, talisque est relatiua, & contraria: nullius ergo earum differentia specifica est additum, quod vocant diminuens. Rursus: si omnes includunt contradictionem, perperam ergo diuiditur oppositio in illas, & contradictorias; qua ratione haud valet diuisio viuientis in animal, & hominem.

60 Satiùs ergo est negare talem inclusionem in argumento obiectam. Tum, quia probabile est iuxta dicta superius vnum non esse aliud v.g. nigredinem, non esse albedinem, sed potius hanc solam esse seipsam haud esse propriam, & physicè oppositionem contradictoriam, talemque duntaxat esse, id genus repugnantiam, quod visitur in habendo, & non habendo, siue recipiendo, & non recipiendo, albedinem v.g. aut quamuis aliam formam: quamuis igitur omnis oppositio includat hoc, quod est vnum eius extremum non esse aliud, non propterea tamen contradictionem strictè sumptam. Tum secundo, quia, esto, distinctio vnus extremi ab alio, & albedinem, esse albedinem, nigredinem vero non esse albedinem, sit propria, & vera contradictio; quid inde? nihil certè, nisi quod contrarietas (par autem est ratio oppositionis relatiuæ, & priuatiuæ) sequuntur ex contradictione. Cuius rei gratia animaduertenda sunt tria instantia naturæ: in primo est considerare albedinem, & nigredinem secundum se, & præcisè ab omni relatione oppositionis: in secundo utramque, prout quælibet earum est ipsa sola, & non alia, adeoque prout subsunt relationi oppositionis contradictoriæ: in tertio utramque prout se expellunt ab eodem subiecto, ac proinde quatenus habent relationem oppositionis contrariæ: quapropter ex entitatibus albedinis, & nigredinis oritur earum contradictio, & ex hac earum contrarietas. Oppositio igitur contraria non includit contradictionem, sed potius excludit: nam ex ea sequitur: nihil autem sequi potest ad seipsum. Hoc pacto, quod proprietates accidentales formæ ignis v.g. eam consequantur, non illarum in ea inclusionem arguit essentialem, sed potius exclusionem.

61 Ad secundum respondeo, distantiam locorum, quo est magis mediata: eo maiorem esse, & hoc minorem, quo est magis immediata: cæterum distantiam naturarum oppositionis propriam è contrario crescere, si sit immediata, & decrescere, si sit cum medio coniuncta: ut enim inter conferendam oppositionem contradictoriam cum priuatiua visum est, quod extrema aliqua opposita medio gaudeant, oritur ex eo, quod aliquid sit eis commune, in illoque conueniant, ac proinde ex eo, quod non summè distent: quare è diuerso summa extremorum distantia erit in causa, ut ambo sint immediata: iam ego distantia naturarum, quæ quidem, & non locorum est oppositionis propria, ab immeditatione vendicat incrementum, & ab interiectione alicuius medij decrementum consequens ergo est, ut utroque ex titulo eadem omnino ratione crescat, vel decrescat ipsa oppositio, si eam per distantiam metiamur.

62 Ad tertium respondeo; in primis multoties contingere, ut opposita relatiuè eidem in sensu diuiso sui possint conuenire, ac proinde, ut se sola excludat, non vero aptitudinem sui: Petrus enim, qui est Pater

Ioannis, potuit eius esse filius, & Ioannes, qui est Filius Petri, potuit contra eius esse pater: esse ergo patrem, & filium Ioannis, aut si maius Petri, sunt denominationes, quæ, quamuis neutri simul, & in sensu composito conueniunt, at possunt vtrius eorum conuenire, si sumantur seorsim, & altera cum exclusionem alterius: huiusmodi ergo oppositio relatiua, & quæuis alia id genus erit non minor, quam priuatiua, quando, sicut huius extrema non tollunt aptitudinem ad inuicem, sed subiectum priuatum forma est capax nihilominus formæ, & informatum similiter est obnoxium priuationi; ita etiam illius sunt cum aptitudine coniuncta, ut nuper explicatum, Deinde secundo: tanti non est incapacitas illa, qua Pater æternus Patrem exuere nequit, aut esse Filius, quauis non potest hic è contrario Filiationem cum paternitate commutare, ut propterea vtriusque personæ oppositio relatiua sit maior, quam quæ interuenit inter formam, & priuationem: hæc namque quantumlibet ea incapacitate destituta, ita tamen instituuntur, ut altera sit ens, & altera non ens: cæterum personæ illæ diuinæ sunt entia relatiua, & quod plus est, non solum conueniunt quasi specificè, aut genericè in ratione entis relatiui, sed etiam numericè in ratione absolute cuiusdam naturæ; eadem enim, & non multiplex inest vtrique.

63 Ad quartum respondeo oppositionem Logicam, siue intentionalem, & physicam, de qua in præfenti analogicè & veluti æquiuocè tantum conuenire: quomobrem haud necesse esse, ut quem ordinem inter se seruant, quatuor illius prioris oppositionis species, eundem retineant quatuor partes subiectiuæ, in quas posterior distribuitur: contrarietas proinde, tametsi Logicè sumpta sit à contradictione secunda, physicè tamen usurpata, oppositionum tamen poterit esse postrema.

64 Ad postremum argumentum respondeo. Quo in primis leuioris, minorisque momenti causæ suffi-
ciunt ut inter homines aliquos oriatur iurgium, & rixa, eo censentur ambo voluntatibus, & animis magis auersi, ac dissidentes, inuicem; haud enim adeo facilis est contentio, & similitas inter eos, quos ingeniorum vicinitas, & voluntatum consensio amicauit: Minus ergo si requiritur ad oppositionem contradictoriam, quam ad contrariam, & ad hanc plus, quam ad illam, inde potius colligere est, quod contradictio sit maior contrarietate, quam contra, quod hæc eam excedat: quo argumento in simili usus sum supra cum de oppositionibus Logicis esset disputatio.

65 Rursus secundo: albedo, nigredo, & colores vtrinque medij sunt causæ tantum extrinsecæ oppositionis, tum contrariæ, tum etiam contradictoriæ, non vero intrinsecæ, & formales: vtrique enim ex eis resultat, neutra vero in eis consistit quidditatiuè, & formaliter: aliter tamen, & aliter, ut hoc obiter animaduertam, resultat contrarietas ex duobus quibusdam coloribus, & contradictio: illa namque immediatè, & necessario, hæc mediatè, & contingenter, mediatè quidem, quia vnus color non nisi prius inferendo carentiam alterius in subiecto infert contradictionem: contingenter vero, quoniam vnus color ita infert carentiam alterius, ut possit ea à solo Deo per miraculum poni. Causa ergo intrinsecæ, & formalis cuiusvis oppositionis est extremorum distantia, & impossibilitas. Hinc est, ut in genere causæ talis reuera plus requiratur ad contradictionem, quam ad contrarietatem etiam strictissimam: magis enim distant, forma, & carentia formæ, magisque sunt impossibiles,

sibiles, quam quæ contrariantur rigorosissime, adeoque prior illa oppositio hanc posteriorem excedit: quod autem in genere causæ extrinsecæ, & veluti occasionalis plus quodammodo desideretur ad oppositionem contrariam propriissime talem, quam ad contradictoriam, verum est: ad illam enim exercendam cum albedine, verbi gratia, requiritur nigredo absolute sumpta, vtve subiectum, quod prius erat album, postea denominetur simpliciter nigrum: ad hanc vero satis est aliqua admixtio nigredinis, qualis nimirum reperitur, vel formaliter, vel æquiualeuter in colore medio. At quod in genere eiusmodi causæ plus opus sit ad contrarietatem, quam ad contradictionem, argumentum esse nequit excessus, quo illa superet hanc, sed potius eius, quo hæc illam antecellat: qua ratione maiorem quandam desiderari occasionem, vt duo homines incipiant altercari, non arguit eos esse valde inimicos, alienosve, sed potius contrarium: inimicitia vero illorum, & alienatio potius colligitur ex eo, quod minor illis sufficiat ansa, & causæ extrinsecæ iurgandi, sicut paulò supra dictum.

C A P V T IV.

De Modis Prioris.

66

Aristoteles in postprædicam. cap. 10. quinque modos prioris tradidit, ad quos nullus non potest reuocari. Prima prioritas, & cæteris omnibus magis perfecta, & propria est, qua quidpiam tempore aliud anteuerit, quo pacto Pater v. g. dicitur prior nativitate natorum, & qui nascuntur ab illis. Secunda est in subsistendi consequentia, quæ prioritas Logica, prioritas rationis Logica, prioritas naturæ Logica appellari consuevit: ea est, qua ab vno ad aliud, & non è conuerso consequentia valet in hunc modum: est homo; ergo animal: non tamen, est animal; ergo homo; atque vt animal hac de causa est prius in subsistendi consequentia homine, ita etiam quævis alia ratio superiori inferiori. Tertia prioritas est ordinis: qua ratione in orationibus exordium cæteras partes antecedit, & in grammatica elementa syllabis sunt priora. Quarta est dignitatis, qua nimirum aliquid est alio præstantius, & honorabilius: & hoc pacto qui superiores dignitate sunt, priores appellantur præsertim inter non paucos catus religiosorum. Quinta prioritas est ea, qua aliquid aliud à se causat: vocari autem solet prioritas causalitatis, seu prioritas naturæ, seu prioritas physica, seu prioritas rationis physica, necnon absolute prioritas rationis. Hos prioritatis modos, vt facilius teneas, in vulgare distychon

Tempore, natura prius ordine dico, & honore.

Causam causato dicimus esse prius.

Circa prioritatem temporis quæres primò, an sit relatio prædicamentalis, & vera? Respondeo esse, tamen non me lateat aliis magis placere contrarium. Siquidem simultas temporis est relatio prædicamentalis, ergo & prioritas. Deinde aliquid alteri esse propinquum, aut ab eo quoad locum distans, est relatio prædicamentalis, vt P. Suarez disp. 47. metaphys. cum reliquis omnibus expresse docet: ergo & esse propinquum alteri, aut ab eo distans quoad tempus erit relatio prædicamentalis: quando igitur esse propinquum alteri, aut distans quoad tempus est esse plus, minusve prius, aut posterius illo penes tempus, nec id aliter possit intelligi, necesse est, vt prioritas, &

etiam posterioritas temporis sint respectus prædicamentales. Denique id à me constitutum, & probatum est supra tract. 6. cap. 11.

At obiicies: relatiua prædicamentalia, & vera sunt simul natura, simultas autem naturæ est coniuncta cum similitudine temporis: quorum alterum, & alterum est explicatum c. postremo illius tractatus sexti: prius ergo, & posterius tempore, si sunt relatiua propria, & vera, hoc ipso erunt simul tempore; at fieri nequit, vt quorum alterum est prius tempore, quam aliud, & hoc illo posterius tempore, ea sint temporis spatio simul: esse ergo non potest, vt prius, & posterius tempore sint relatiua realia, aut in genere ad aliquid. Sed in primis simultas naturæ, ac temporis adeò non est proprietas omnium relatiuorum realium, sed quorundam, vt locis nuper citatis est à me ostensum, quo fiet prius, & posterius tempore, sine temporali simultate posse realiter referri ad se inuicem. Deinde secundo, quod prius, & posterius tempore, quendam admittant sensum, iuxta quem possint esse simul tempore, atque in eodem eius articulo existere, statim constabit, inter diuidendam prioritatem temporis suas in species.

Circa quam secundo quæri potest, an sit species quædam prioritatis naturæ, ita, vt non aliud sit, vnam rem esse priorem tempore, seu duratione, quam aliam, quam durationem vnus esse priorem natura duratione alterius, eamque causare; quo pacto vnum obiectum dici consuevit prius in cognoscendo, quam aliud, quia vnus cognitio est causa, vt cognoscatur aliud. Affirmant quidam Neoterici, quos lato calamo perstrinxi, ac profligavi in Physica lib. 4. tract. 4. cap. 3. Interim breuiter, & in transitu eos sic refello: Duratio solis est prior natura duratione lucis sibi cœuæ, eiusque causa, vel quod perinde est conditio: nisi enim esset sol durans, & tempore mensuratus aliquo, nequaquam posset luci primam conferre durationem, eive esse causa existendi, in temporis intervallo quodam: at non propterea radiosum illud Solis iubar, est prius tempore luce, quam primam diffundit. Item si crearet Deus æternum & ante omne tempus animam aliquam rationalem, huius duratio sempiterna esset posterior natura æternitate diuina, & hæc illa prior: nihilominus Deus non esset prior tempore, quam eiusmodi anima.

Porro autem exemplum prioritatis in cognoscendo, quo potissime fidunt aduersarij, parum, vel nihil eis prodest; Tum, quia vna cognitio potest esse causa alterius: vnde non mirum, si huiusmodi causalitatis ordo redundet in obiecta, vnusque obiectum, denominet prius in cognoscendo, quam obiectum alterius: aut vna duratio ex natura rei, & citra miraculum nequit esse causa durationis, alterius, sibi succedentis, quippe, quæ hac existente non existit, nec est præsens, sed potius præterita. Tum etiam, quia prioritas in cognoscendo haud semper est prioritas naturæ inter cognitiones, sed multoties, solius temporis, vt inferius clarebit. Tum denique propter argumenta nostra aduersus contrariam obiecta sententiam de prioritate temporis; quibus tamen aliis nequit impugnari prioritatem aliquam in cognoscendo esse speciem prioritatis naturæ, & ordinem causalitatis inter cognitiones.

Tertio circa prioritatem temporis quæres, quomplex sit? Respondeo missis aliis eius diuisionibus, quæ magis populares sunt, quam philosophica, eam trifariam posse distribui. Prima temporis prioritas est, qua res aliqua existit nunc, quin alia, qua est prior sit existens, sed tantum exitura: quo pacto dicimur qui modo viuimus prius tempore creati à

T 4 Deo

67

68

69

70

Deo, quam Antichristus. Secunda est, quæ duæ res simul existunt; quondam tamen prius existit una, quam alia: quæ ratione liberorum, qui eodem parente sati sunt, tamen simul existant nunc, cæterum unus dicitur antiquior alio, & prior tempore, siue ætate, quoniam alter alterum præcessit aliquando. Tertia species, cuius meminit Aristoteles lib. 5. metaph. cap. 11. est quæ respectu alicuius instantis designati quædam res est remotior, aut etiam propinquior, quam alia. Ita *priora sunt* (ut verbis Aristotelis utar) *quæ Græci apud Troianos, quam quæ Medii in Græcia gesserunt, quia longius ab hoc temporis momento absunt.* Contra vero festum paschatis dicitur modo prius festo Pentecostes, quia alterum huic temporis momento est vicinius, quam alterum. Prima species prioritatis temporalis proprietate duas sequentes, & secunda tertiam antecedit.

71 Circa prioritatem in subsistendi consequentia dubitari potest primo, an possit dari inter aliqua quæ in contrarium recurrunt, à quibusue ad se sit mutua consequentia? Respondeo posse: Siquidem quories aliquod coniunctum ex duobus prædicatis ita comparatur eum alio etiam coniuncto ex duobus prædicatis, ut prædicatum aliquod unius sit ratione nostra prius prædicato alterius, seruata proportionem unum coniunctum erit prius ratione, quæ de loquimur alio, tamen in subsistendi consequentia reciprocetur ambo; quo pacto hoc animal v. g. est prius hoc rationali: sicut enim unum coniunctum alio prius dignitate, & perfectione est, esto quoad omnes partes eo perfectius non sit, sed tantum quoad aliquam, ut in homine, & bellua cernere est; ita similiter in præsentia, &c. Hinc tamen haud efficitur, definitionem prioritatis Logicæ à nobis traditam esse vitiosam: quamvis enim coniuncta, de quibus proxime fuit sermo, ita sint instituta, ut ab alterutro ad aliud valeat consequentia, at ea non valet à parte unius ad partem alterius: atque hoc est in causa, ut alterum absolute sumptum sit logicè prius altero: quamobrem nostra sic debet intelligi definitio, ut qualiscunque sit irreciprocatio, & quamvis duntaxat unius partis respectu alterius, ea tamen sufficiat, ut non tantum pars parte, sed etiam totum sit logicè prius alio toto.

72 Secundo dubitari potest, an huiusmodi prioritas possit esse mutua? Respondeo inter prædicata incomplexa, & primæ intentionis mutuam, & reciprocam esse non posse: quamvis enim contrarium senserit P. Herice disp. 5. de scientia Dei, facile tamen refelli potest: quoniam id, quod est prius logicè alio, latius eo patet, & quod est logicè posterius alio, eo minus latè funditur: sed idem prædicatum incomplexum alio magis, & minus latè patere, ac fundi non sustinet, ut licet in homine, & animali cernere. Verum inter prædicata complexa, & secundæ intentionis mutua esse potest, ac reciprocationi obnoxia: quæ ratione Dialect. lib. 9. tract. 1. genus & prædicabile, ut sic inuicem superius, & inferius asseruimus. Cuius præter rationem ibi tradendam, alia potest erui ex doctrina numeri præcedentis: siquidem genus, & prædicabile ita comparata sunt, ut vtrumlibet coniunctum contineat partem aliquam superiorem parte alterius, & aliam partem inferiorem parte alterius, cum prædicabile ut sic proptèr abstrahitur, & sit genus ad quinque prædicabilia quoad hanc numero generalitatem, & abstractionem contineatur sub generalitate in cõmuni primi prædicabilis propria, & quoad prædicabilitatem, siue vniuersalitatem, ut sic ei obnoxiam abstractioni contineatur sub se prædicabilitatem specialem primi prædicabilis, id est generalitatem:

eodem modo comparari potest è conuerso genus primum prædicabile cum prædicabili in cõmuni, eoque esse quoad unam sui partem superius, & quoad aliam inferius. Vnum ergo coniunctum absolute superius, & inferius alio denominabitur ab utraque parte: quidni enim una pars superior, & prior logicè illud absolute prius, & alia posterior denominet posterius? haud secus, ac prioritas dignitatis quoad unam tantum partem ab ea redundat in totum, uti paulò suprà visum.

73 Circa prioritatem ordinis hoc solum dubitari, hoc decerni potest, quoruplex sit? Respondeo septuplicem esse. Primo namque dicitur aliquid prius ordine discendi, docendique. Hoc pacto antecurrunt in grammatica elementa syllabas, & in oratione præmium, quæ subsequuntur partes, ut dictum est. Huiusmodi autem prioritas haud est species quædam prioritatis temporalis, aut localis: non enim in eo sita est, quod elementa prius tempore doceantur, discanturve, aut si non voce tradantur, sed scripto, prius loco (etiam si enim per imperitiam Magistri aliter contingat, haud propterea, non erunt elementa syllabis ordine, quo de loquimur, priora) sed quod ita spectatis eorum naturis tradi debeant ac postulent: exordium quoque quamvis in fine proferatur, scripto vel voce, non ob id non erit ordine prius, cæteris orationis partibus, quoniam videlicet principio proferri exposcit, & quia ita melius conciliantur auditorum animi, & quia sic rectius percipiuntur, quæ tota continet oratio.

74 Secundo dicitur aliquid alio prius ordine loci, quia scilicet unum est in primo loco, & aliud in secundo, tertio, vel alio vltiori; vel certe, quia unum est vicinius, primum obtinenti locum, quam aliud. Primus locus uno modo, videlicet *sursum*, est extremum mundi sublunaris, cælum nempe, quod eum ambit vndique: alio vero modo, scilicet *deorsum*, est mundi medium, eiusve centrum. Quare tellus est prior loco aqua, v. g. & hæc aër, & aër igne, quoniam illa, est in primo loco, aqua vero, aër, & ignis in sequentibus: horum autem elementorum alterutrum, eatenus est prius loco, quatenus telluri propinquius, quam alterum. At retro actò ordine, cælum est loco prius elementis omnibus, quoniam primum quodammodo locum obtinet, cum corpora elementaria, eo minime potiantur, quæ si comparentur inter se, illorum ignis est prior aëri, & hic aqua, & ista tellure, proptèr nimirum alia, aliis cælo sunt propiora.

75 Tertiò quidpiam dici solet prius ordine temporis, quam aliud, quia scilicet alterum est in primo aliquo temporis instanti, primo, inquam, vel suapte natura, vel arbitrato nostro tali, alterum vero in alio subsequenti: vel certe, quia designato aliquo instanti unum ei magis appropinquat, quam aliud, vnumve ab eo magis distat, quam aliud, proptèr nimirum hæc prioritas est inter præterita, vel futura. Quanquam autem prioritas ordine loci haud sit species quædam prioritatis temporalis; at talis est hæc, quæ proxime manet explicata, ut sponte sua claret.

76 Quarto dici consuevit aliquid alio prius ordine motus, quia scilicet magis appropinquat mouenti: quo pacto puer est prior Senæ, respectu scilicet Patris, qui ad vtrumque est veluti primum mouens; & similiter Filius est prior nepote. Eodem pacto Saturnus quoad motum ordinem est prior Ioue, & hic Marte, & Mars Sole, & Sol Venere, & hæc Mercurio, atque hic Luna: propior enim est Saturnus primo mobili, eiusque motum, sin prius tempore, & uti Patris motum prius Filius, quam nepos, puer, quam Senex; at certe prius natura participat, quam cæteræ stellæ

stellæ errantes : Iupiter autem ea ratione est secundus à Saturno , & reliqui , vt sunt enumerati , sequuntur Iouem. Hac autem prioritas est species quædam prioritatis temporis, vel certe naturæ, prout nimirum maior illa vicinitas respectu mouentis est talis, vel tempore, vel natura : quod enim vtroque modo contingat; exemplis nuper positis liquefcit,

77 Quinto dicitur aliquid alio prius ordine potestatis, & iurisdictionis : quo pacto Rex Ducem , & hic Marchionem, & iste Comitem, & Comes Baronem antecedit. Ratio autem huius inæqualitatis, & ordinis est, quod electio Regis, quæ est veluti primum mouens, non physicum, & naturale, sed morale, ita sit instituta, vt ei sit immediatior quodammodo Rex, quam Dux, & hic quam Marchio, &c. Hac porro prioritas ordinis est species quædam prioritatis naturæ, necnon temporis, vt dictum est in simili de prioritate ordinis quoad motum simpliciter dictum, & naturalem. Subiicitur etiam prioritati dignitatis, vt per se conspicuum.

78 Sexto dicitur prius ordine enumerationis; vel id, quod enumeratur primum, & ante omnia alia; vel certe id, in quo minor absolutur numerus facto initio enumerationis ab aliquo alio prior: nam in choro eius ductor cæteris est prior, & secundus post eum prior itidem est sequentibus, & tertius quarto, & hic quinto, & sic deinceps eadem ratione in fidibus media chorda, quam musici primam faciunt, & caput cæterarum cæteris est prior, & secunda, quam reliquæ, & sequentium quæuis prout minori numero abest à media. Posteriori exemplo planum fit, hunc prioritatis ordinem esse omnino, aut magna ex parte arbitrarium; priori vero eum esse speciem quandam prioritatis loci, temporis, aut naturæ: choragus enim primum obtinet locum; prius etiam tempore mouetur; ac cæteris, vt tripudient est causa, & regula.

79 Septimo dicitur aliquid prius ordine cognitionis, siue, vt loquuntur alij, in cognoscendo : interdum autem hæc prioritas est species quædam prioritatis temporaneæ : quo pacto prius nobis nota, siue priora in cognoscendo sunt quæ pueri vidimus, audiimus, aut aliter didicimus, quam quæ senes : eorum etiam tardius obliuiscimur, vt testis est experientia: interdum vero huiusmodi prioritas est species prioritatis naturæ: qua ratione obiectum conclusionis, & rursus obiectum præmissarum dicitur prius in cognoscendo, quam obiectum conclusionis, & rursus obiectum conclusionis, siue scientiæ subalternantis obiecto conclusionis subalternatæ, quia præmissæ sunt priores natura conclusionis, & conclusio subalternans ea, quæ vocatur subalternata: Eadem ratione, vt exemplo Aristotelis vtar, singularia sunt priora sensu, quam vniuersalia, & hæc è diuerso priora intellectu, quam illa; quia nimirum prius natura sentimus exterius res singulares, quam intelligimus vniuersales; haud enim possemus intelligere, & immaterialiter cognoscere albedinem v.g. vt sic esse digregatiuum visus, nisi mediante præuia quadam visione alicuius albedinis in particulari fieret in intellectu nostro species intentionalis eius vniuersaliter sumptæ; Contra vero prius natura intelligimus, & scimus res vniuersales, quam singulares : idcirco namque scit medicus Petrum febris laborantem ita esse curandum, quia prius beneficio artis suæ cognoscit quatenus homini, eo si morbo laboret, mederi debeat: Et quidem omnis vniuersim ars, & scientia est fermè de vniuersalibus, & ab eis ad singularia descendit, horumque derivat à se cognitionem.

80 Circa prioritatem dignitatis, quam Aristoteles

animaduertit esse satis impropiam, atque alienam vix est aliquid notatu dignum. Solum ambigi, & constitui potest, quoruplex sit. Respondeo triplicem : nam, aut maior perfectio naturalis vnas res aliis solet anteferre, aut, quod perinde est, eas denominare priores, aut anteriores: qua ratione se habent inuicem Angelus, homo, bellua, & res inanimæ : aut quod alia res, aliis anteponatur, siue dicantur priores, in causa est excellentia aliqua moralis, cuiusmodi est Regis, Pontificis, Ducis, &c. aut denique voluntas, & affectio arbitriumque nostrum : quo pacto antiquiores, prioresque apud nos sunt amici, quam extranei.

81 Circa prioritatem naturæ, quæres primo, an sit relatio vera, & realis? Respondeo esse. Oppones tamen primo: relatiua sunt simul natura iuxta Aristotelem, ac cæteros dialecticos: prius ergo, & posterius natura, si eo ipso sunt relatiua realia, nequibunt non esse simul natura, quod tamen adeo repugnat, vt nihil supra. Verum, vt recte monet Auerla quæst. 23. log. ad finem, quæ sunt prius, & posterius natura possunt considerari, aut specificatiue, & penes solas res, aut reduplicatiue, ac prout res eam subeunt relationem; priori sensu successionem quandam naturæ concernunt, non vero simultatem vllam: posteriori vero sunt simul natura, non vero eatenus alterum prius, & posterius; nisi ad summum in actu signato, ac nequaquam exercitò; haud enim est, prius natura vnâ rem denominari priorem alia naturæ ordine, quam aliam ea posteriorem, esto res ipsæ ante vtramque denominationem comparentur inuicem, non sine ordine eiuscemodi.

82 Deinde secundo quæres circa eam prioritatem naturæ, an ad eam explicandam necesse sit diuidere instans reale in duo instantia virtualiter distincta, & prædicatorum contradicentium capacia, in quorum priori naturaliter existat causa, vel conditio, & in posteriori, neutra earum, sed effectus solus. Affirmant quidam; sed immerito. Namque in primis hoc instans reale præcisè diuiduum est in rationem communem instantis, & rationem huius instantis, non verò in duplicem rationem partialem huius instantis eo modo, quo hic homo in hoc animal. & hoc rationale virtualiter est diuiduus: at causa, vel conditio, sine qua non, quatenus talis in ratione communi instantis non existit prius, quam ipsa, vel effectus in ratione talis instantis existat: prioritas ergo naturæ inexplicabilis est in ordine ad duplicem formalitatem eiusdem instantis realis, in quarum altera causa, & in altera existat effectus. Maior probatur, quoniam similitudo, & dissimilitudo, & quæuis alia prædicatorum contradictio ad solam diuisionem huius instantis in instans, & eius hæc ceitatem fundamentum exhibet, non vero ad eius sectionem in duplex instans: qua etiam ratione hic homo, esto in alias formalitates vi similitudinis, & dissimilitudinis, non tamen in duplicem diuiditur hominem. Minor est aduersariorum, & per se conspicua, quoniam, vt ait Aristoteles ad initium libri primi metaphysicorum, actiones, & existentia in ordine ad singularia tantum esse possunt, quo pacto medicus, non hominem, sed Socratem, aut Calliam curare dicitur: igitur in intelligibile prorsus est, causam, seu conditionem existere in ratione communi instantis antea, quam in hoc existat instanti.

83 Tertiò: licet hoc instans reale diuidi posset in duplex instans singulare, quorum alterum ab altero virtualiter distinctum, & altero virtualiter prius sit, adhuc conditio, & causa, atque effectus vtrique coexistere possent, ac deberent: Cur enim effectus priori formalitate, & causa posteriori coexistere non poterunt;

runt: Prioritas ergo naturæ explicanda non est per eiuſmodi diuisionem, ac multipliciter virtuales. Tercio prioritas originis, & prioritas virtualis, de quibus è vestigio, sine ordine ad instans reale virtualiter diuisibile possunt explicari: igitur eodem modo prioritas naturæ: nam cur, sicut prioritas virtualis consistit in productione virtuali, & originis in productione quadam reali, circumscripto quouis respectu ad instans reale, eiusque partitionem, similiter etiam prioritas naturæ consistere nequeat in vera causalitate: antecedens est aduersariorum, & probatur ex facili: quoniam essentia diuina est prior virtualiter relationibus, & hæ origine priores, & posteriores inuicem: vtrumque autem contingit ante quoduis instans reale temporis, vt constat, & æternitatis etiam, cum nemo processiones diuinas dependenter ab attributo æternitatis explicet, aut possit.

84 Quarto demum, quia scientia visionis Dei est posterior existentia actus liberi nostri, quem videt, & hic illa prior: sed actus, vel motus liberi arbitrij nostri in nulla parte instantis realis existit, cui re ipsa scientia visionis non coexistit: ergo &c. Minor (haud enim est de maiore dubium) ita suadetur: vt ad æternitatem, & perfectionem diuinæ scientiæ spectat, vt non solum cuius temporis absolute coexistat, verum etiam cuius eius parti, ita similiter ad eam attinet, vt non tantum cuius instanti reali, sed etiam cuius eius parti coexistat.

85 Tercio quæres, circa illam prioritatem naturæ quod duplex sit? Missis pluribus eius partitionibus, de quibus fuit in physica sermo ex professo; respondeo nunc eam aliam esse propriam, quæ nimirum est, hætenus explicata, aliam vero improprie, & reductiue talem: cuiusmodi est prioritas originis, necnon prioritas virtualis. Illa est, quæ vnum est principium realiter productiuum, non vero causatiuum alterius, quæ in solas tres personas conuenit; earum enim prima, secundam, & ambæ tertiam producant, non causant, propter identitatem videlicet, omnium trium, sin minus immediatam, at certè mediatam, atque in tertio, nimirum in natura, cunctis communi, atque eadem.

86 Prioritas virtualis est: quæ vnum est principium virtuale alterius: sicut enim, quod realiter distinguitur ab alio, illud realiter causare potest, vt ad strictam naturæ prioritatem oportet, non est quapropter, illud quod virtualiter distinguitur ab alio, interdum id virtualiter causare nequeat, quemadmodum opus est ad prioritatem virtuales, & quasi naturalem. Pro quâ dignoscenda triplex regula esto, Prima; quoties inter prædicata virtualiter distincta, separabilitas realis, non mutua, & irreciproca est; ita, vt vnum, sine altero realiter manere possit, non è conuerso, vt in relatione prædicamentali creata, & eius fundamento, iuxta aliquos vsuuenit, toties id, quod manet, virtualiter prius est, eo, quod perit. Suadetur, quoniam separabilitas realis non mutua inter rem, & modum, ab ea realiter distinctum, causalitatem realem, & prioritatem strictam naturæ, quæ res modo prior sit, vt plurimum arguit: similiter ergo, sicubi separabilitas non mutua sit, inter prædicata virtualiter distincta, prioritatem virtuales arguere poterit. Porro hæc regula locum habet, non in nostris, sed in connotatorum principijs.

87 Secunda regula sit. Quoties duo prædicata virtualiter distincta respiciunt connotata realiter distincta, quæ naturæ ordine sint inuicem priora, & posteriora, toties prædicatum respiciens, connotata, naturaliter priora erit virtualiter prius, eo, quod inuenitur connotata naturæ ordine posteriora. Probat, quia non alia de causa animal in nobis rationale, & hoc risibile, & intellectus voluntatem virtualiter antecedunt, vt expendenti clarebit. Tertia regula sit: quoties duo prædicata virtualiter distincta ita comparantur inuicem, vt si realiter essent distincta, vnum hoc ipso foret prius natura, quam aliud, illudque realiter causaret, aut ad eius causalitatem munus conditionis gereret; tum certe vnum erit virtualiter prius alio. Vel alijs terminis, quoties duo prædicata virtualiter distincta ita instituuntur, vt alia iis assimilia semper realiter distinguantur, & se realiter inferant, ac proinde sint ordine naturæ priora, & posteriora, tum vnum prædicatum ab alio virtualiter distinctum, eo virtualiter prius erit, seruata omnino proportione cum prioritate naturæ, quæ interuenit inter prædicata, quibus est vtrumque assimilabile. Probat, quia hæc ratio diuina cognitio diuinam volitionem, intentio diuina electionem diuinam, essentia diuina eius æternitatem, immensitatem, & alia attributa virtualiter antecediunt. Atque hæc de modis prioris, quibus intellectus, nihil habent difficultatis modi posterioris: quocirca merito sunt ab Aristotele prætermissi.

CAPVT V.

De Modis simul.

88 Aristoteles in categorijs cap. 12. tres assignat modos simul. Primus est temporis, quo videlicet quædam simul incipiunt esse: huius acceptio nis ratio, & origo hæc esse potest: vnus parentis Filij, quorum alij ante alios sunt geniti, tametsi omnes coexistant inuicem, non tamen dicuntur simul ætate: ergo nec duratione, aut tempore: requiritur ergo ad simultatem temporis præse sumptam incepisse simul, nec sine huiusmodi inceptioe simultanea satis fuerit existere quandoque in eodem temporis articulo. Verum enim latius sumi potest simultas temporis, & quidem non omnino improprie; vt perinde sit, atque duas res esse commensas eidem spatio temporis, siue simul inceperint esse, siue secus, quopactò dicitur de Iacobo capite 46. *Genesis venitque in Egyptum cum omni semine suo, filij eius, & nepotes, filia, & cuncta simul progenies.* Mille alia id genus in sacris, & profanis litteris.

89 Secundus modus simultatis naturæ est eorum, quæ conuertuntur existendi consequentia, sic tamen, vt neutrum sit causa, quapropter existat aliud, vt seruus, & dominus, duplum, & dimidium: de hoc modo simul satis dicta sunt supra tract. 6. cap. 25. num. penultimo. Porro super hanc simultatis naturæ rigorosam acceptionem gemina alia potest assignari, & alterutra non omnino impropria, quamuis infra prioris proprietatem: videlicet simultas naturæ logica, siue in subsistendi consequentia, quæ nimirum ab vno ad aliud, & è conuerso valet argumentatio, simul tamen alterum est causa alterius; quo pacto sol, & cœua sibi lux censentur esse simul natura: Necnon simultas naturæ physica, quæ scilicet neutra causat aliud, qui tamen quoad existentiam necessario recipiuntur inuicem: quæ ratione simul natura sunt homo, & animal.

90 Tercius modus simultatis est, quo quædam dicuntur esse simul diuisione, id est, quo naturam aliquam communem disperitiuntur, vt homo, equus, leo, &c. Si enim quorum tempus est idem, sunt simul tempore, vt vitum est, quidni censentur simul diuisione ea, in quæ idem diuiditur genus, siue, vt loquuntur alij, simul

simul natura communi, quæ eandem participant? Porro similitas diuisionis primo sumi potest strictissime, ut nuper: Secundo latius, sed tamen non omnino improprie; quo pacto præter superiorem comprehendit etiam similitatem ordinis: tum, quia quæ ordinata sunt, eo ipso sunt etiam diuisa, siue digesta: tum, quia quæ sunt simul diuisione, sunt in eodem genere, siue serie, & ordine rerum: proinde ad illam posteriori modo sumptam reducitur ea similitas, quæ res aliquæ dicuntur simul ordine doctrinæ, temporis, loci, motus, potestatis, enumerationis, & cognitionis: Eodem etiam pacto sumpta tertia illa species similitatis complectitur similitatem honoris, siue dignitatis; hoc enim ipso, quod homo, & brutum sunt sub eadem diuisione animalis, neutrum est perfectius, aut præstantius, quam aliud; quare eatenus sunt eiusdem dignitatis, eorumque inæqualitas à solis rationibus specificis est petenda: Par conditio est Dei, & creaturarum, substantiæ, & accidentis prout comparantur cum ratione præcisa entis: par etiam quorumvis aliorum inferiorum. Vide tamen circa trimembrem illam similitatis partitionem ab Aristotele traditam Conimbricenses, Cardinalem Toletum, Ammonium, & alios interpretes.

CAPVT VI.

De Speciebus Motus.

91 **M**OTUS iuxta Aristotelem in categor. cap. 13. sex-plex est; videlicet generatio, corruptio, accretio, decretio, alteratio, & latio. Aut enim substantia primò producit, cum non esset antea; & sic dicitur generari. Aut ea destruitur, & redigitur in nihilum; atque ita dicitur corrumpi. Aut nouas acquirit partes, utque substantiales; atque ita dicitur crescere. Aut eas deperdit; atque ita dicitur decretere. Aut qualitatem aliquam denuo suscipit; ac sic dicitur alterari. Aut de vno loco fertur in alium; ac talis eius motus dicitur latio, siue mutatio localis.

92 Has motus species distingui inuicem est certo certius. Quoniam verò nonnulli philosophi apud Aristotelem dubitant de alteratione; idcirco huius à cæteris distinctio suaderet ita: Quando calefit aqua v. g. non tamen summo per se, haud generatur, vel corrumpitur: haud crescit, vel decrecit: haud denique mouetur de loco in locum: tum, quia id experientia quotidie patet: tum etiam, quia non caliditas, sed frigiditas disponit ad generationem, & accretionem aquæ; quæ autem est tunc frigiditatis remissio, non committit, ut ea sit satis ad corruptionem, aut decretionem aquæ; quorum vero mutetur de vno loco in alium? cum magis sit, ut semper hæreat eodem loci, videlicet iuxta ignem, cuius vi calor ei imprimatur: alteratio ergo ab eiusmodi motibus est separabilis, adeoque realiter distincta.

93 Aliud distinctionis illius caput est à contrariis cæteros motus ab alteratione posse separari. Quod ostenditur in hunc modum. Quando generatur aqua v. g. vel tum alteratur strictissime; & hoc falsum est: alteratio enim ita sumpta est transitus de vna qualitate ad aliam, & alterius cum altera commutatio: vnde ad eam necesse est, ut prius tempore subiectum habeat quantitatem contrariam, quam nouam, quæ est terminus alterationis: ac ante primam generationem sui res non existit, adeoque nulli est qualitate obnoxia: haud ergo potest propriissima ratione alterari. Vel propterea sermo est de alteratione aliquanto minus stricta, quæ nimirum qualitas aliqua im-
re,

mitur subiecto præscindendo à quauis successione, & vicissitudine temporis: atque hanc esse eandem cum prima rei generatione, haud potest esse verisimile, nedum verum: nam pro posteriori signo ad generationem, quauis res multas subit qualitates, tum intrinsecus, & vi sua, tum etiam extrinsecus, & munere causarum de foris circumstantium: generatio ergo prima rei; est prior natura, quam alteratio posteriori modo sumpta, ac proinde ab ea longè alia, atque diuersa.

Rursus quadratum, hoc est figura quatuor lateribus æqualibus, & rectangulis constans, de qua multa Euclides lib. 2. Elem. multa cæteri mathematici, quadratum, inquam, ita est institutum, ut ex eius medio abscindi possit, aliud minus: illud autem, quod abscinditur, decrecit; & tamen non alteratur, cum eadem, quam antea retineat figuram. Præterea quadratum circumposito gnomone crescit: attamen non alteratur, nec qualitatem acquirit nouam: siquam enim, maximè figuram; at non hanc, cum in eadem, quam habebat antea, persistat.

95 Motui in communi haud est contrarius, vel quod in præsentem perinde est, & in idem recidit, oppositus vllus motus, sed sola quies: idque, quia comprehendit omnem motum; at singulis eius speciebus speciales motus, necnon particulares quietes ex aduerso respondent: v. g. generationi corruptio, accretioni decretio, motui sursum, motus deorsum: Item generationi nouæ formæ quies in pristina: accretioni, qua acquirit forma substantialis, & animata, nouam materiæ partem, quies formæ alimentaris, & inanimata in eadem materiæ parte: ac motui sursum quies in eius termino, non ad quem, sed à quo, id est, in loco, qui dicitur deorsum. Verum de motu, eiusque speciebus late, & ex professo in Physica: proinde hæc quasi in antecessum sufficiant.

CAPVT VII.

De Modis habere.

96 **A**ristoteles in post prædicam. cap. 14. septem habendi modos enumerat, habere inquit pluribus modis, aut ut habitum, dispositionemque, vel aliquam aliam qualitatem dicitur: scientiam enim habere aliquam dicimur, & virtutem: aut ut quantum velut eam, quam quispiam magnitudinem habet: nam cubitorum trium, vel quatuor habere magnitudinem dicitur: aut, ut ea, quæ circa corpus ponuntur, ut vestem, tunicam, & gladium, & similia: aut in parte velut in manu annulum: aut, ut partem, ut manum, vel pedem: aut in vase, ut modum habere triticum dicimus, aut delium vinum, hæc enim habere, ut in vase dicuntur: aut possessionem habere enim dicimus domum, fundumve: dicitur & vir uxorem, & uxor virum habere. Aristoteles autem has habendi species hic distinguit, & singulatim explicat, non vero in prædicamento habitus: tum, quia fortè non omnes ad illud spectant, sed is solus, vi cuius dicitur quis arma, aut vestes habere: tum, quia licet probabile sit, omnes eos, & singulos esse in genere habitus, tamen illud non constituunt penes speciales suas rationes, sed penes communem quandam ab omnibus abstractam, ut in simili dictum, & explicatum est de relatione prædicamentali supra tract. 6. ad eius initium.

97 Porro cum his habendi modis, quam habet omne ferme subiectum à quacunque forma denominatio comprehendere videatur, haud erit abs re hic disquire-

re, an forma tribuens aliquam denominationem subiecto eam ipsa prius sortiatur; idest, an albedo v.g. proprie alba; iustitia proprie iusta; cognitio proprie cognoscens sit, & sic de reliquis formis. Negativa pars mihi magis probatur. Nam in primis licet cognitio aliqua solum directa est cognoscens, ut quo, ita etiam est cognita, ut quo, cum ex aequo potentiam cognoscentem, & obiectum denominet cognitum: at quamvis ea cognitio sit cognita ut quo, non est proprie, ac simpliciter cognita; alias directa non esset: quamvis ergo sit cognoscens, ut quo, non ob id erit proprie cognoscens.

98 Secundo ita de formis denominantibus sentiunt Bernardus serm. 81. in Cantica: *vita anima est vivens quidem, sed non aliunde, quam seipsa, ac per hoc non tam vivens; quam vita, si proprie de ea loquamur.* Tertullianus cap. 2. de anima non enim potest anima male corpus dici, aut inanimale, cum ipsa sit, quae, aut facit corpus animale, si adsit, aut inanimale, si absit ab illo: itaque quod facit non potest esse ipsa, ut dicatur animale, vel inanimale. Claudianus de statu animae lib. 1. cap. 25. *revertere nunc, atque intueri omne longum longitudine longum fieri, ipsam vero longirudinem longam dici non posse, & hominem castum castitate fieri, ipsam vero castam non dici vllatenus castitatem.* Et paucis interiectis: *vim quoque, ac super eminentiam conspice numerorum, & intellige univrsale corpus numerabile fieri, ipsos vero numeros non posse numerari.*

99 Consentit Augustinus in cathgor. cap. 20. *quis enim prudentiam prudentia prudentiorem poterit dicere, vel albedinem clariorem albedine, vel doctrinam doctrina doctiorem?* Quod si prudentia iuxta Augustinum esset verè, & proprie prudens, & albedo alba, & doctrina docta, sanè una prudentia esse posset magis prudens; quam alia, & albedo magis alba, vel clara, quam alia, & una doctrina doctior, quam alia, prout nimirum harum qualitarum qualibet esset intensior, aliqua alia suae speciei: hoc ergo posterius cum inficietur Augustinus, nequit etiam illud prius non inficiari. Accedit Dionysius cap. 2. de divinis nominibus: *Delectationes, & tristitia dicuntur cause de e'tandi, & tristandi, ipse autem neque delectatur, neque tristatur.* Et paulo post: *vivere si quis dicat per se vitam, aut illuminari per se lumen, non recte dicit secundum meam rationem.*

100 Super priora Dionysij verba sic ait B. Thomas in commentario eius capitis lect. 4. *delectationes, & tristitia faciunt delectari, & tristari, non per modum cause efficientis, sed formalis, sicut dicitur, quod albedo facit album; sed ipse delectationes, & tristitia non delectantur, neque tristantur.* Super postiora autem verba ibidem, ita: *nec de vita potest dici, quod vivat, aut de lumine, quod illuminetur secundum rationem predictam, nisi forte equivoce, ut intelligatur vita vivere, quia est causa vivendi.* Porro autem non solum predictis locis faveat Beatus Thomas, sed aliis non paucis, praesertim vero quaest. 10. de veritate art. 9. ad 3. *albedo (inquiens) facit album, quamvis ipsa non sit alba: sed est, quo aliquid est album.*

101 Concordat Aureolus in 1. dist. 4. quaest. 1. art. 4. ubi ait has propositiones esse falsas: *scientia est sciens, sciens est sua scientia.* Capreolus in eundem librum, & eadem dist. & quaest. art. 1. ad 2. ubi, *licet enim, inquit, sciens significet scientiam non tamen supponit pro ea & ideo non potest de illa predicari, sicut nec homo predicatur de humanitate:* Et paulo infra *album non predicatur de albedine, nec e' contra.* Durandus etiam in 1. dist. 2. quaest. 1. num. 1. 6. ibi namque docet esse bonum, iustum, & alia id genus, esto dicantur

de Deo vere, quantum ad rem significatam, at certe improprie, quoad modum significandi, quia nimirum non distinguuntur realiter in eo, quod habet, & quod habetur: quo fit, ut in nobis, iuxta eum, haud possit proprie dici bonitas bona, aut iustitia iusta, aut vlla forma talis, quale subiectum suum denominat, eadem scilicet de causa. En eius verba. *Si vero nomina, quae conveniunt Deo proprie, quantum ad rem significatam, considerentur quantum ad modum significandi, non ita proprie attribuuntur Deo, quia talia nomina sunt abstracta, vel concreta: abstracta autem significant, ut quo aliquid est, vel simpliciter, vel aliquid tale, sicut humanitas, iustitia, bonitas, & non ut quod est; concretum autem significat, ut quod est habens, sicut homo habens humanitatem, iustus habens iustitiam; & hac semper differunt secundum modum intelligendi, quandoque autem secundum rem: In Deo autem, non differunt quod habet, & quod habetur realiter: ideo talia nomina, quoad modum significandi non ita proprie Deo conveniunt, Rursus, idem Durandus, in 1. dist. 4. quaest. 2. num. 6. sic habet similiter hac est vera, rationale disputat, & non illa, ratio disputat. Quod si ratio non disputat, ergo nec disputat disputatio, quippe quae longius à rationali, quam ratio recedit. Quid moror? in eadem sententia sunt plerique scholastici, & Patres.*

102 Ceterum aduersus eam obicies primò Augustinum 7. de Trinitate capite 1. *Sicut enim absurdum est dicere candidum non esse candorem, sic absurdum est dicere, sapientem non esse sapientiam: & sicut candor ad seipsum candidus; ita sapientia ad seipsam dicitur sapiens.* Damascenum cap. 35. dialect. dicitur autem multoties, & ipsa qualitas quale: similiter & in quanto, & quantitate. Anselmum in monolog. capite 5. *lux lucet, vel lucens est per se ipsam, & ex seipsa:* Et ibidem paulo infra: *quemadmodum sese habent ad invicem lux, & lucere, & lucens, sic sunt ad invicem essentia, esse, & ens, hoc est existens, sine subsistens.* Et eundem in libro quem scripsit de concordia gratiae, & liberi arbitrij: dico autem, & instrumentum, & affectionem eius velle, quia & instrumentum est voluntas, & affectio voluntas. Nec incongrue utraque voluntas velle dicitur: quia illa vult, quae affectione sua vult: & affectio vult per quam illa vult: sicut videre dicitur, & homo qui visu videt, & visus, quo videt. Ac denique Platonem in Protagora: *equidem mea sententia iustitiam esse sanctam, & sanctitatem iustam esse dicam.* Respondeo his testimoniis id tantum convinci, formam denominantem aliquid tale multoties dici absolute talem: non tamen semper proprie, sed ut plurimum improprie, & ut quo duntaxat.

103 Obicies secundo: unio denominatur proprie vnita, vbicatio vbicata; duratio durans; cognitio reflexe cognita; & volitio volita: forma ergo denominans subiectum tale dicitur in seipsa talis proprie, siue ut quod: atque id haud raro. Respondeo id vñ venire interdum, ut adductis conuincitur exemplis: ceterum non semper, ut nostra probant argumenta: & quod caput est non per se, sed per accidens: nec enim ideo forma aliqua est talis proprie, & ut quod, quia est talis ut quo, vel quia subiecto denominationem praecise tribuit.

104 Obicies tertio: album v.g. (par autem est ratio cuiusvis alterius concreti accidentalis) importat aliquoties in recto solum formam, ac non nisi in obliquo subiectum: ita constitutum est à nobis in Dialectica lib. 3.

lib. 3. tract. 3. ex sententia non paucorum, inter quos creduntur esse Scotus, & asseclae, & Caietanus, cum quibusdam Thomistis: album ergo ita sumptum perinde est, atque albedo vnita subiecto: de quocunque ergo prædicetur alter horum conceptuum, de eodem prædicari poterit, ac debet alter: atqui de albedine prædicatur, quod sit albedo vnita subiecto: ergo & quod sit album, siue alba.

105 Respondeo, albedinem bifariam sumi posse: primo

quidem in concreto cum subiecto, & prout non excludit vnionem cum illo: atque ita ea est album, siue alba, vt probat argumentum: secundo in abstracto, & secundum se præcisè, & solitariè, ac prout condistincta ab omni vnione cum subiecto: atque hoc sensu eam esse album, aut album quid, haudquaquam efficitur obiecto nobis argumento. De albedine autem, & cæteris formis solo posteriori intellectu, non vero priori impræsentiarum nobis est sermo.

LIBER QVARTVS.

De oppositis entis incorporei præcisè sumpti, siue entis vt sic.

TRACTATVS I.

De ente rationis.

CAPVT I.

An & quid sit ens rationis.



1 **N**s reale positium, quod solum simpliciter ens reale est, duplex contrarium habet, videlicet ens rationis, & carentiam: hæc, quæ est positium: illud vero, quæ est aliquid reale: de ente rationis prius, de carentia posterius disputabitur. In explicando ergo ens rationis plures entia rationis, atque signa committunt: quo fit, vt non tam explicant, quod de se implicat, quam nobis illud tenebris implicent, atque inuoluant. Vnde merito Cano de locis lib. 9. c. 7. asseruit, se non percipere ea entia rationis, quæ à nonnullis ponuntur: ne ergo in æquiuoco operam ludam, præmittendum est nobis, sermonem esse non de ente rationis subiectiuo, videlicet actu intellectus, nec de ente rationis fundamentalis, nimirum denominationibus extrinsecis, (de quibus satis im præmio Dialecticæ) sed de ente rationis obiectiuo, eoque formaliter, & non fundamentaliter sumpto: quod solum propriè est ens rationis, & ita definiti consuevit: ens rationis est, quod habet esse obiectiuè tantum in intellectu. Hæc autem definitio à Commentatore 6. metaphys. comment. 3. & B. Thoma opusc. 42. cap. 1. ac P. Suarez disp. 54. metaph. 1. num. 7. & reliquis scholasticis communiter accepta, ita explicari solet, ac debet.

2 **E**ssè obiectiuè tantum in intellectu est nullum esse habere positium, aut negatiuum, possibile, aut actuale, præter esse cognitum ab intellectu: quo fit, vt solum id, quod fingitur ab intellectu, & concipitur aliter esse ac esse etiam diuinitus potest, sit obiectiuè tantum in intellectu, siue ens rationis propriè sumptum: id quod breui quadam inductione sub vnum mentis obiectum subici potest. Creaturæ possibiles præter esse obiectiuè in intellectu, habent esse possibile: vnde quamuis actu non existant, entia rationis nuncupanda non sunt. Deinde eadem ratione obiectum actus falsi, videlicet cursus Petri, cum, non con-

R. P. Richard Lyncei, Philosoph. Tom. III.

currente Petro, affirmatur, non est ens rationis, quia præter esse obiectiuè in intellectu, habet esse saltem possibile vel in causis: cum esse possit, sicuti affirmatur. Rursus carētiæ v. g. tenebræ, præter esse obiectiuè in intellectu, habent suum esse negatiuum à parte rei: quod enim 1. Genesis dicitur, & tenebra erant super faciem abyssi, teorū ab omni intellectus actu tenebras concipiente verum erat. Præterea denominationes extrinsecæ ab intellectu, vel aliunde profectæ suum esse completum habent à parte rei, quin fingantur, aut etiam cogitentur: vnde entia rationis propriè dici non possunt. Reliquum igitur est. vt solum id, quod ab intellectu fingitur, aut concipitur esse aliter, ac esse possit, sit obiectiuè tantum in intellectu, & ens rationis propriè dici mereatur. His igitur præmissis, quæ sunt hominum ingenia, nullum dari ens rationis nonnulli arbitrantur, sed potius quidquid à nobis concipitur esse ens reale. Ita Maior quod 7. Bernardinus Mirandulan. in expositione prædicamentorum. Vallesius 10. Philos. controuers. Gandauensis, & alij. Alij autem e contra censent, non solum dari ens rationis, quod ens reale reipsa non sit, verum etiam illud adæquatè distinguī ab omni ente reali, & ex pluribus rebus malè conceptis, & falsò combinatis illud minimè coalescere. Ita complures Thomistæ, quibus licet non ad sensum Thomisticum, nonnulli Recentiores nostri adhaerent. Verum inter has sententias media quadam mihi amplectenda est, quæ me iudice verior, & communior est, & quam vnâ vel altera assertionem proponam, atque exponam.

3 **A**ssero primo: datur ens rationis, de quo nō esse ens reale verè, & propriè enūciari possit. Hæc assertio, quæ plerorumque Doctorem est, in hunc modum suadet. Primo à priori: quia datur aliquod ens, aut quasi ens, quod ne diuinitus esse possit, sicuti concipitur, & sicuti per voces exprimitur, & significatur vt chymæra, hitocœrus, alius Deus. &c. at eiusmodi ens est rationis ens, vt superius ostensum manet: ergo datur ens rationis: hoc autem ens rationis non est ens reale, quia quoduis ens reale potest esse saltem diuinitus, sicuti concipitur: aut per voces, & nomina sua exprimitur, & significatur, vt constabit discurrenti per omnia entia realia, quæ proculdubio eiusmodi sunt. Secundo à posteriori: quia ens reale est, quod habet aptitudinem ad esse, siue quod non repugnat esse, aut quod contradictionem non implicat, vt omnibus exploratum est: at alius Deus v. g. non habet aptitudi-